Laertius Lib: I.

Thales philosophus interrogatus
quid esset omnium difficillimum
seipsum (inquit) nosse
Cum item percontaretur quo
pacto integre et pie vive-
remus. inquit. Si ea quae
in aliis reprehendimus
nos ipsi non faciamus

[illegible]

y ochotem [illegible] zgromadzi [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] wać [illegible]

[illegible] graniczę [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] [illegible] pacalle

post subter [illegible]

post tempora

[illegible] Sa aliquot nomina collectiva

populus turba cohors exercitus

congregatio gens plebs

familia [illegible]

Aby. gdy jes nas s. niedzwiedz, ktory
sie byl przed lasem podrzewy, zel
wiatru vlowil barzo mala pateszka
ktorego on wierzony gniewaiąc sie
mowiac; a potym. wiedzrzey widział byl
uprobował galas wtym on porwa-
wszy sie bes milosierdzia uciekal. tak-
ze tes mlodziy ludzie gdy go nieyę
losc ponalu skarzes, gniewa sie, czy
gdy ma pozytkowis [illegible] on my [illegible]
zwiedzie karanie za niewdziecznie
przyimuię

P. OVIDII NASONIS DE PONTO LIbri quatuor.

CVM ARGVMENTIS ET DISPOsitionibus Viti Amerbachij.



M. D. XLI.
Cum Gratia & Priuilegio Imper.

AD LECTOREM.

Vt labor eſt ingens lector componere uerſus,
Sic te fautorem uatibus eſſe decet.
Nec res omnino uana eſt componere uerſus,
Quod nec docta ſatis, nec pia turba putat.
Diuinum eſt nomen uatum, diuina facultas,
Talia non paruum eſt non coluiſſe nefas.

VITVS AMERBACHIVS CHRI-
stophoro à Minguuitz D. Iohannis
filio, compatri & amico suo
S. D. P.

Virtutes quædam tuæ non uulgares, & non tam studium, quàm obseruantia erga bonas artes, nostraq; necessitudo patruelis tui, uiri honestissimi, ut eruditissimi D. Erasmi à Minguuitz primum inter nos conflata, fecerunt Christophore, ut te mihi testem Baptismi filiolæ meæ, pro ueteri more Christianorum, rogarem & uelut alterum patrem, ac tutorem eius cõstituerem. Qua in re quia te facilem præbuisti, passusq; es hoc tibi onus à me imponi, magnam iniuisti apud me gratiam, & multum addidisti momenti ad confirmandam nostram amicitiam, præter id, quod Christo nõ prorsus nullum honorem habuisti interim, dum hanc operam das eius Ecclesiæ, per quam hic ritus institutus est, ac illi, quem ipse instituit, honoris causa adiectus. Nnnc uero, cum uisum esset ei, qui dat hæc munera coniugij, ut filia mea desineret esse inter uiuos, dolorq;, ac luctus, in quo non minimo fuimus, nonnihil esset lenitus, cœpi metuere, ne hoc uinculum non, quod uulgo ferunt, omnino rumperetur, sed

tur, ſed laxaretur, aut labefieret aliquantulum, cogitauiq́; qua ratione præcaueri poſſet hoc incommodum, & uenit mihi tandem in mentem, non abſurde me facturum, ſi alium infantem, aut fœtum, non quidem corporis, ſed ingenij tibi commendarem, inq́; filiolæ mortuæ locum tanquam ſurrogarem filiam, ut ſic dicam, literariam, aut chartaceam. Nihil autem hoc tempore melius habere potui, quàm has annotatiunculas, quas dictaui ante triennium in hac ſchola publice, cum interpretarer poëma Ouidij de Ponto. Quanquam autem in talibus rebus mihi nuſquam ſatisfacio, nec admiror adimodum, quod alioqui ſolere fieri ſimia quoq; in fabulis teſtatur, meos fœtus, cum tamen flagitarent nonnulli meorum amicorum æditionem, egoq́; uiderem uix literati nomen hoc ſeculo tueri, qui nõ emitteret in publicum ſuas lucubrationes, aliquando uel noſtris imperfectiores, aut etiã alienas, quam honeſte, aut utiliter bonis literis, et Reipublicæ, nõ dico, cenſui, quemadmodũ in alijs quibuſdam antea factũ eſt, in hoc etiam qualicunq; meo ſcripto fortunam experiendam eſſe, atq; honeſtis uiris, & alijs meis amicis, pauciſſimis quidem illis, bonis tamen, & ſynceris, reddendam rationem huius laborioſiſſimi, & miſerrimi penè ocij mei, ſimulq́; me tanquam languentem ex multis animi, & corporis moleſtijs ex

citarem

citarem iterum, & in proposito cursu retinerem. Vix enim à me oratione potest efferri, quàm sæpe crucier, & angar non tam domesticis incõmodis, quàm odijs, hominum inuidentia, maleuolentia, perfidia, simulationibus, iniquitate, malicia, quæ hoc seculo tantum non pro uirtutibus habentur, ac essent profecto, si ex multitudine cultorum æstimari deberent. Non potuisti, inquis, has horas melius collocare? non fuit aliud argumentum, in quo uersareris maiore cum honestate, ac fructu? Hic tibi quid respondeam non deest. Animus ad explicandum, quod sentio, magis, & uerba desunt. Non potui melius has horas collocare, ob hanc maxime caussam, quòd is adhuc status est mearum rerum, ut oporteat me talia tractare, nisi uelim facere, quod nec meis, nec alienis honestis uiris excusari poßit, aut fortasse non fieri sine flagitio. Quanto rectius est καὶ ἐγὼ λατρεύειν, & aut fortunæ, aut hominum maleuolorum telis ualetudinem obijcere, ac tandem uitam, si opus erit, amittere? Sic ego quidem facere malo, nec delectant me opes, quæ facile, & cito, & ijs artibus parantur, quibus nunc homines uti consueuerunt, etiam Philosophi, si dijs placet, ac Theologi, digni quidem illi, qui mercaturam exercerent, aut argentariam potius facerent, ut copiosius etiam, ac citius locupletarentur. Sentio uerißi

mum esse, quod Menander dixit, οὐδεὶς ἐπλούτη-
σε ταχέως δίκαιος ὤν. Et Iuuen. Quis pudor
aut metus est unquam properantis auari? Tales
etiam nostris prouerbijs male audiunt ac notan-
tur eodem planè modo. Colui bonas literas à prima
pueritia, nec institutum hoc meum iter ad libera-
lem doctrinam intermisi unquam, nisi quantum huic
misero corpusculo, & uarie semper oppugnato est
concessum, quanquam ægre nonnunquam, & non,
ut id requirebat, omnino, quantumq; morbi sibi,
ætatis imbecillitas, improbitas hominum, & fortu-
næ quædam incomoda partim rapuerunt, partim
eblandita sunt. Feci tamen hoc ita, ut nunquam nō
aliquid temporis darem legendis sacris literis, præ-
sertim diebus festis, ac audiendis, quarum puer ferè,
quàm nunc, auidior fui, uel meo quodam uel tempo-
rum, uel communi hominum uitio, diuinis concio-
nibus & alijs rebus sacris. Volui deinde rudimenta
iuris ciuilis degustare, non ut ea scientia uitam ali-
quando sustentarem, sed ut essem eo paratior ad le-
gendum Ciceronem: Sic enim tum eram affectus.
Applicaui postea paulo propius animum ad Medi-
corum artem, & mediocre tempus in ea tractan-
da contriui, propemodum ita inductus animo, ut
putarem hac mihi uictum esse quærendum olim
uberiorem. Sed, quia uidi genium meum, & ualetu
dinis

dinis quandam rationem ab hoc genere quæstus exercendo abhorrere, malui in posterum libros, & disputationes Medicorum, quæ magnam continent et utilitatem, & uoluptatem, ac semper mihi uehementer placuerunt, per ocium legere, quàm in lucem, & puluerem, aut potius in morbos, & ptochodochia educere, maxime cum & non desint qui & libenter hoc faciant, & natura magis me sint ad faciendum idonei, & ego poßim reipublicæ aliam operam dare non minus fortaſſe, quàm illa eſt, utilem. Ita, si usquam, hic certe sum expertus prudenter hoc ab Horatio dictum esse: Tolle periclum, Iam uaga prosiliet frenis natura remotis. & à Græco Poeta: ἄμαχον δὲ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος. Tenuitas enim rei familiaris, & contemptus literarum uelut frena quædam iniecerant, ac aliò ducebant inuitum, quàm quo natura mea, & indoles uocabat, & hactenus duxerat. Remotis autem his frenis, & his impedimentis, utcunq;, prosilui iterum in hunc patentem, et liberum doctrinarum campum, & redij ad ingenium, sic tamen, ut eam libertatem ad sacrarum literarum seruitutem quandam alligauerim, cupiamq; aliquando prolixius mereri de Christiana Republica. Si uero & huc intercludetur mihi uia siue metu meo aliquo de sustinendo tanto onere, siue corporis infirmitate, siue

diuino consilio, siue hominum odio, aut inuidia, quæ certe non parum obstare mihi possunt, hactenusq; nonnihil obstiterunt, nunquam tamen hoc patiar à me extorqueri, ut non unà priuatim hæc duo studiorum genera peculiari diligentia coniungam, & in eis pariter elaborare contendam, si non cum Reipublicæ bono, cum meo tamen, & meorũ bono: quanquam & hoc ad publicam utilitatem pertinet, & poterit ad eam redundare, me nunc sepulto. Faciam hoc, bene iuuante Christo, inuitis & dæmonibus, & omnibus inuidis, ac maleuolis. Decretum est, stat sententia. Ex his, quæ propterea quoque uolui prolixius, & liberius exponere, satis intelligere potes, Christophore, cur in talibus argumentis uersari soleam, non in alijs. Quanquam quid est in hac re turpitudinis, aut quid potius honestatis non est in ea? Quare frustra sum ego sollicitus, & tibi fortasse non conueniebat hoc argumentum, non mihi, te non erat dignum, non me, si tamen & ætas tua non est ea, nec mores, ut non debeas huius tam grauis poëmatis lectione te non oblectare modo, sed etiam de magnis, & dignis nobilitate ordine tuo rebus monere, docere, & excitare ad uirtutem, & præclare uiuendum, ad quod egregia domi habes exempla non solum patris tui, qui uix habuit eloquentia, & scientia gerendarum rerum su-

periorem

periorem in his terris: & ob istas tantas uirtutes haud dubie suo principi fuit carissimus, sed patruorum tuorum, & fratrum patruelium hominum ex magna parte, quantum ego quidem intelligo, natis ad humanitatem, prudentiam, facundiam, & peculiarem quendam candorem, & suauitatem in moribus. Semel tantum audiui loqui tuũ patrem in publico, & de re magna, sed ita expedite, ita distincte, ita eleganter, ita suauiter, ut cum D. Pontanus etiam locutus esset de re ferè eadem audiente me (nã hi duo tum principatum tenebant) conferrem tacite mecum patrem tuũ Menelao, aut Nestori, uetustissimis Græcorũ ducibus, aut Demostheni: Pontanum uero Vlyssi, aut Pericli, & illum Cæsari, hunc Ciceroni, adeo tonare alter, alter spirare suauiter uidebatur, non tantum uerbis, & oratione sed omnibus oratorijs uirtutibus. Et hoc intelligens sapientissimus princeps, utrunq; semper fecit maximi, & amauit ferè ut parentes. Certe patrem tuum superioribus annis magno cum dolore amisit, quod satis testatur uox eius, ut ad nos tum perferebatur, cum dixit in hoc acerbo casu, quod Comitis opibus uellet, si posset, hunc uirum, patrem tuum dico, redimere. Sic Agamemnon apud Homerum optat sibi contingere decem συμφράδμονας, hoc est, consultores Nestori similes. Tum enim fore,

ut breui capiat Troiam. Quare non minus hic opti
mũ Principem admiror, quòd uera bona, quæ pau-
ci dinoſcere poßunt, ut inquit Poeta, intelligit, &
magnifacit, quàm patrem tuum, quòd tanto Heroi
placere tantopere potuit. Sed non inſtitui laudatio
nem tantorum uirorum, qui uirtutes eorum, &
laudes ne quidem ſatis poſſum intelligere. Meum
hoc opus, ſeu mauis officium dicere, ſeu beneuolen-
tiæ erga te meæ, ac erga familiam tuam obſeruan-
tiæ teſtimonium, uelim ſic accipias, ut perſuadeas ti
bi iucundißimam eſſe mihi noſtrã coniunctionem,
neceßitudinem illam interiorem etiam ſacroſanctã,
nec dubitare, quin ſis in legendis noſtris annotatio-
nibus præbiturus te beneuolum iudicem, in defen-
dendis acrem patronum, in curando fidelem
tutorem. Vale. Viteberga Calend.
Mart. Anno Domini
1540.

ARGVMENTVM TOTIVS OPERIS OVIdij de Ponto.

QVantũ prosit Poëtarũ lectio ad quascumq; alias artes liberales perfecte discendas nihil opus est exponere: ista enim res per se se nota est, & alibi à doctissimis uiris copiose disputata. Quare nos omissis Poeticæ laudibus, breuiter huius operis de Ponto, quod enarrandum suscepimus, argumẽtum recitabimus, id quod constituimus etiam facere in expositione singularum Elegiarum. Est autem breuiter hæc summa huius opusculi: Ouidius Poeta expulsus ex Vrbe in Scythiã à Cæsare Augusto, ob nescio quam causam (ipse enim nusq; hoc expresse dicit, sed tantum obscuras quasdam coniecturas his præsertim poematis de Tristibus, & de Ponto inspergit, & eas quidem uarias)

uarias) ac iussus ibi exulare, scripsit tum hos de Ponto libros, tum superiores de Tristibus, in quibus omnibus ad amicos suos scribit, & partim conqueritur de suis miseriis, partim rogat eos, ut Cæsarem ipsi reconcilient, uel ita tantum, ut possit habere mitiorem, uel tolerabiliorem exilii locum. Sunt quidem & alia pleraque argumenta seu res, quę in hoc opere tractantur, ut laudationes, uituperationes, consolationes, & gratiarum actiones, sed illę tamen duę præcipue hic aguntur. Itaque nullum discrimen est inter hęc duo opera, nisi quod illud de Tristibus neminem eorum, ad quos scribitur, nominat, hoc de Ponto opus paulo est liberius, & nominat eos, ad quos scribitur, sicut Poëta ipse statim in prima Elegia hic docet. Prętera partes horum librorum Elegię appellantur. Sunt autem Elegiæ nihil aliud præsertim in hoc loco, quàm breues quædam Epistolæ, quę flebilem, & lugubrem materiam continent.

Argumen

ARGVMENTVM PRIMAE ELEgiæ ad Brutum ſcriptæ.

AD quendam ex Brutorum familia ſcribit hic Ouidius, illum rogat, ut hos ſuos libros ęquo animo accipiat, nec metuat, ne offendat in ea re Cæſarem, cum neq; res amatorias tractent hi libri, & ea ſit humanitate, & lenitate Cęſar, ut manifeſtorum inimicorum, ac hoſtium ſuorum ſcripta patiatur in Vrbe legi: iam etiam laudes Auguſti in hoc poëmate contineri. Itaq; ſi aliter prorſus non uelit hoc ad ſe recipere, debere eum abijcere nomen Authoris, & ſic apud ſe id retinere. Eſt autem in eo loco ualde copioſus. Nec tam rogat, quàm hortatur, & ſuadet uarijs argumentis. Primum ab æquo & legibus. Deinde ab exemplo Bruti, & Antonij, de quibus, quod ad hunc locum facit, extat in initio uitæ Auguſti apud Suetonium, & in 1. libro Acade. Cicer. quęſt. 2. ęditione non procul à principio de Bruto. Vtitur hic etiam correctione, & addit argumentum à qualitate, ſeu circumſtantia operis, quod Cęſaris laudes contineat, & exempla, duo ex minore, tria

tria ex pari, in quorum primo per iactantem sistra, intelligi debet sacerdos Isidis: In ultimo per imperium Dianę, Rex Nemorensis, de quo est in 3. Fast. Et ab hoc nil tale fieri dicit poeta, quod non, ut Isidis, & Cybeles ministri, mendicauerit. Et est sensus loci, ut sacerdotes propter deos, quorum sunt antistites, & curantur, & magnifiunt, ita meus liber curari, & haberi in precio debet propter Augustum, cuius laudes continet. Atq; ita ipse Ouid. accommodat exempla, cũ subijcit: Ipsa mouet animos. Sequitur obiectio de offenso Augusto cum refutatione per duo exempla reconciliatorum numinum pœnitentia. In fine addit querelam de suis malis, & dicit non prius ab istis suis acerbissimis doloribus, & curis liberari se posse, nisi mitior locus exilij à Cæsare sibi impetretur. Pręterea in 8. uersu recte puto scribi uersibus, in 11. hos, non hoc, in 13. ueniant, ut hæc omnia referantur ad libellos & numerus congruat. In 50. nolle putate, quod ita sit plena sententia, & conueniens.

Publij

de Ponto, Liber primus.

AD BRVTVM.

NAso Tomitanæ iam non nouus inco
la terræ, (opus.
Hoc tibi de getico littore mittit
Si uacat, hospitio peregrinos Bru=
Excipe, dũq; aliquo, quolibet abde loco (te libellos
Publica non audent inter monimenta uenire,
Ne suus hoc illis clauserit autor iter.
Ah quoties dixi, certe nil turpe docetis,
Ite, patet castis uersibus iste locus.
Nec tamen accedunt, sed ut aspicis ipse, latere
Sub lare priuato tutius esse putant.
Quæris, ubi hos poßis nullo componere læso,
Qua steterant artes, pars uacat illa tibi.
Quid ueniant nouitate roges fortasse sub ipsa,
Accipe, quodcunq; est, dummodo non sit amor.
Inuenies, quamuis non sit miserabilis index,
Non minus hoc illo triste, quod ante dedi.
Rebus idem titulo differt, & epistola cui sit
Non occultato nomine missa docet.
Nec uos hoc uultis, sed non prohibere potestis,
Musaq; ad inuitos officiosa uenit.
Quidquid id est, adiunge meis, nil impedit, ortos
Exule, seruatis legibus urbe frui.

Quos

Quod metuas non est, Antoni scripta leguntur,
Doctus & in promptu carmina Brutus habet.
Nec me nominibus furiosus confero tantis,
Sæua deos contra non tamen arma tuli.
Deniq; Cæsareo, quod non desyderat ipse,
Non caret è nostris ullus honore liber.
Si dubitas de me, laudes admitte deorum,
Et carmen dempto nomine sume meum.
Adiuuat in bello pacatæ ramus oliuæ,
Proderit Autorem pacis habere nihil?
Cum foret Aeneæ ceruix subiecta parenti,
Dicitur ipsa uiro flamma dedisse uiam.
Fert liber Aeneaden, & non iter omne patebit?
At patriæ pater hic, ipsius ille fuit.
Ecquis ita est audax, ut limine cogat abire
Iactantem Pharia tinnula sistra manu?
Ante deûm matrem cornu tibicen adunco
Cum canit, exiguæ quis stypis æra neget?
Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ,
Vnde tamen uiuat, uaticinator habet.
Ipsa mouent animos superorum numina nostros,
Turpe nec est tali credulitate capi.
En ego pro sistro, Phrigijq; foramine buxi,
Gentis Iuleæ numina sacra fero.
Vaticinor, moneoq;, locum date sacra ferenti,
Non mihi, sed magno poscitur ille deo.

Nec quis

Nec quia uel merui, uel sensi principis iram,
A nobis ipsum nolle putate coli.
Vidi ego linigenæ numen uiolasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.
Alter ob huic similem priuatus lumine culpam,
Clamabat media se meruisse uia.
Talia cœlestes fieri præconia gaudent,
Vt sua quid ualeant numina teste probent.
Sæpe leuant pœnas, ereptaq; lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituisse uident.
Pœnitet O, si quid miserorum creditur ulli,
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cumq; sit exilium, magis est mihi culpa dolori,
Estq; pati pœnam, quàm meruisse minus.
Vt mihi disaueant, quibus est manifestior ipse,
Pœna potest demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certe, ne sim, cum uenerit, exul,
Ne non peccarim, mors quoq; non faciet.
Non igitur mirum est, si mens mea tabida facta,
De niue manantis more liquescit aquæ.
Estur. ut occulta uitiata putredine nauis,
Aequoreos scopulos ut cauat unda salis.
Roditur ut scabra positum rubigine ferrum,
Conditus ut tineæ carpitur ore liber,
Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur habent.

Nec prius hi mentē stimuli, quàm uita, relinquent,
Quiq; dolet citius, quàm dolor ipse, cadet.
Hoc mihi si superi, quorum sumus omnia, credent,
Forsitan exigua dignus habebor ope,
Inq; locum Scythico uacuum mutabor ab arcu,
Plus isto duri si precer oris ero.

AD ELEGIAM SECVNDAM *ad Maximum.*

AD genus suasorium hæc Elegia pertinet: Cōqueritur enim hic Poëta Maximo cuidam ex gente Fabiorum de sui exilij malis & miserijs. Querela autem nihil aliud est quàm oratio continens enumerationem malorum aut calamitatum, comparata ad afficiendos aliorum animos, ita, ut nobiscum doleant, aut ad flectendos animos aliorum ad misericordiam, quod certe quiddam affine est suasioni. Porro exordium habet etiam epistola ductum à persona Maximi ad conciliandam beneuolentiam, cum quadā obiectione de authore scripti, aut contra potius, exordium ab illa obiectione est sumptum, & obiter addita est illa captatio beneuolentiæ à laudibus Maximi, ut circumstantia. Sunt enim tantum circumstantia primi quatuor uersus, nec absoluunt

soluunt orationem. Quod ibi de Fabijs dicitur, inuenitur in 2. lib. Fast. & 2. lib. Liui. dec. 1. Exordio subijcitur statim querela, quam ornauit tum collatione, tum cum Niobe, de qua est in 6. lib. transform. & Heliadibus, quarum fabula extat 2. transfor. In cuius operis 4. lib. uide et de Medusa, cũ obiectione, quod ne dormiens quidem possit quiescere, aut à doloribus uacuus esse. Additus est etiam querelæ Epilogus, & postremo etiam quædam obliqua, & uerecunda petitio. Hæc est summa, & dispositio totius Elegiæ.

AD MAXIMVM.

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus,
Qui nasci ut posses, quamuis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit una dies.
Forsitan hæc à quo mittatur epistola quæris,
Quisq; loquar tecum certior esse uelis,
Hei mihi quid faciam? uereor, ne nomine lecto
Durus, & aduersa cætera mente legas.
Viderit hæc si quis, tibi me scripsisse fateri
Audebo, & proprijs ingemuisse malis.
Viderit, audebo tibi me scripsisse fateri,
Atq; modum culpæ notificare meæ.

Quid, dignum pœna cum me grauiore fuisse
Confitear: possum uix grauiora pati.
Hostibus in medijs interq; pericula uersor,
Tanquam cum patria pax sit adempta mihi.
Qui mortis sæuo geminent ut uulnere causas,
Omnia uipereo spicula felle linunt.
His eques instructus perterrita mœnia lustrat
More lupi clausas circumeuntis oues.
At semel intentus neruo leuis arcus equino,
Vincula semper habens irresoluta manet.
Tecta rigent fixis ueluti uallata sagittis.
Portaq; uix firma summouet arma sera.
Adde loci faciem nec fronde nec arbore tecti,
Et quod iners hyemi continuatur hyems.
Hic me pugnantem cum frigore, cumq; sagittis,
Cumq; meo fato quarta fatigat hyems.
Fine carent luchrymæ, nisi cum stupor obstitit illis,
Et similis morti corpora torpor habet.
Fœlicem Nioben, quamuis tot funera uidit,
Quæ posuit sensum saxea facta malis.
Vos quoq; fœlices, quarum clamantia fratrem
Cortice uelauit populus ora nouo.
Ille ego sum, lignum qui non admittor in ullum,
Ille ego sum, frustra qui lapis esse uelim.
Ipsa Medusa oculis ueniat licet obuia nostris,
Amittet uires protinus ipsa suas.

Viui-

Viuimus, ut nunquam sensu careamus amaro,
Et grauior longa sit mea pœna mora.
Sic inconsumptum Tityi semperq; renascens,
Non perit, ut poßit sæpe perire iecur.
At puto cum requies medicinaq; publica curæ
Somnus adest, solitis nox uenit orba malis,
Somnia me terrent ueros imitantia casus,
Et uigilant sensus in mea damna mei.
Aut ego Sarmaticas uideor uitare sagittas,
Aut dare captiuas in fera uincla manus,
Aut, ubi decipior melioris imagine somni,
Aspicio patriæ tecta relicta meæ.
Et modo uobiscum, quos sum ueneratus, amici,
Et modo cum cara coniuge multa loquor.
Sic, ubi percepta est breuis, & non uera uoluptas,
Peior ab admonitu fit status ille boni.
Siue dies igitur caput hoc miserabile cernit,
Siue pruinosæ noctis aguntur equi,
Sic mea perpetuis liquescunt pectora curis,
Ignibus admotis ut noua cera solet.
Sæpe precor mortem, mortẽquoq; deprecor idem,
Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.
Cum subit, Augusti quæ sit clementia, credo
Mollia naufragijs littora posse dari.
Cum uideo quàm sint mea fata tenacia, frangor.
Spesq; leuis magno uicta timore cadit.

Nec tamen ulterius quicquam ſperóue, precórue,
Quàm male mutato poſſe carere loco.
Aut hoc, aut nihil eſt pro me tentare modeſte,
Gratia quod ſaluo ueſtra pudore queat.

AD ELEGIAM TERTIAM ad eundem.

EIuſdem generis hęc Elegia cum præcedente eſt, ſed in hoc ab illa differt, quod non conqueritur, & tantũ eſt quædam petitio crebro iterata. Rogat enim Ouidius Maximum, ut ſibi ab Auguſto mitiorem locũ exilĳ impetret, & utitur ad hoc duobus principalibus argumentis, Primum eſt ſumptum à facili, hoc ſibi à Cæſare poſſe impetrari, quod tamen nõ generaliter tractauit, ſed per partes quaſdam, ut, quia ipſe facundus ſit, quia Cæſar ſit clementiſſimus Princeps, & neſciat quàm barbaræ, quam ſæuę gentes ſint Tomitæ, & uicinę gentes, apud quas ſit exul: quod ſi ſciuiſſet, non futurum fuiſſe, ut ab eo mitteretur in iſtas regiones. Hæc pars eſt amplificata per antitheſin, in cuius principio, cenſent quidam legendum eſſe Therodamas, quod mihi placet ideo, quod in Ibin habetur hic uerſus: Therodamanteos ut qui ſenſere Leones. Idem enim haud

haud dubie significatur in utroq; loco, & apparet fuisse Tyrannum, qui aluerit leones ad necādos homines. Quis autē fuerit, mihi nondum est lectum, & nihil puto alibi de eo extare. Secundum argumentum est ab honesto ductum, & habet etiam suas quasdam partes, quòd familiariter antea cum Maximo uixerit, quod ab eo amatus sit, quod eius affinis sit. Item quòd ante uitam honeste egerit, quæ omnia multum ad persuadendum ualent. Cæterum uidetur mihi Poeta non tam petere à Maximo, ut hoc cū Cæsare agat, quàm præscribere ei modū, & rationē agendi hoc cū Cæsare. Porro Martia fuit Martij Philippi uitrici Augusti Cæsaris, & Catonis posterioris filia, de qua est in fine 6. Fast. & infra lib. 4. eleg. 1. Materteram Cæsaris uolunt etiam fuisse in matrimonio Philippi, & ex ea Martiam procreatam esse. Nomen eius ignoratur. In hoc loco, censa est, positum est pro censuit, passiuum pro actiuo, ut in hoc 4. Georg. haustus sparsus aquarum: sparsus pro spargens & punitur pro punit in hoc 1. Offic. Neq; ad eius, qui punitur aliquem &c. ut Seru. uult & legit hunc Cicer. locum: & omnino omnibus huius formæ orationibus: ocu-

los suffusa nitentes. participium passiuũ ponitur pro actiuo ad Græcorum medio rum imitationẽ. De Claudia uide Liui. 9. lib. 2. bel. Punici, & 4. Fastorum.

AD MAXIMVM.

Suscipe Romanæ facundia Maxime linguæ
Difficilis causæ mite patrocinium.
Est mala (confiteor) sed te bona fiet agente,
Lenia pro misera fac modo uerba fuga.
Nescit enim Cæsar, quamuis Deus omnia norit,
Vltimus hic qua sit conditione locus.
Magna tenent illud numen molimina rerum.
Hæc est cœlesti pectore cura minor.
Non uacat, in qua sint positi regione Tomitæ
Quærere, finitimo uix loca nota Getæ.
Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iazyges acres,
Cultaq; Orestææ taurica terræ deæ.
Quæq; aliæ gentes, ubi frigore constitit Ister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat,
Roma, nec Ausonij militis arma timet.
Dant illis animos arcus plenæq; pharetræ,
Quamq; licet longis cursibus aptus equus.
Quodq; sitim didicere diu tolerare, famemq;,
Quodq; sequens nullas hostis habebit aquas.

Ira uiri

Ira uiri mitis non me misisset in istam,
  Si satis hæc illi nota fuisset humus.
Nec me, nec quenquam Romanum gaudet ab hoste,
  Meq; minus, uitam cui dedit ipse, capi,
Noluit, ut poterat, minimo me perdere nutu,
  Nil opus est ullis in mea fata Getis.
Sed neq; cur morerer, quicq̃ mihi comperit actum.
  Et minus infestus, quàm fuit, esse potest.
Tunc quoq; nil fecit, nisi quod facere ipse coegi,
  Penè etiam merito parcior ira meo est.
Di faciant igitur, quorum mitißimus ille est,
  Alma nihil maius Cæsare terra ferat.
Vtq; diu sub eo, sic sit sub Cæsare terra.
  Perq; manus huius tradita gentis eant.
At tu tam placido, quàm nos quoq; sensimus illum
  Iudice pro lachrymis ora resolue meis.
Non petis, ut non bene sit, sed uti male tutius, utq;
  Exilium sæuo distet ab hoste meum.
Quamq; dedere mihi præsentia numina uitam,
  Non adimat stricto squalidus ense Getes.
Deniq; si moriar, subeam pacatius aruum,
  Ossa nec à Scythica nostra premantur humo.
Nec male compositos, ut scilicet exule dignum est,
  Bistonij cineres ungula pulset equi.
Et ne, si superest aliquis post funera sensus,
  Terreat ut manes Sarmatis umbra meos.

Cæsaris hæc animum poterant audita mouere,
Maxime mouissent si tamen ante tuum.
Vox precor augustas pro me tua molliat aures,
Auxilio trepidis quæ solet esse reis.
Assuetaq; tibi doctæ dulcedine linguæ,
Aequandi superis pectora flecte uiri.
Nō tibi Theromedon, crudusq; rogabitur Atreus,
Quiq; suis homines pabula fecit equis.
Sed piger ad pœnas princeps, ad præmia uelox,
Quiq; dolet, quoties cogitur esse ferox.
Qui uincit semper, uictis ut parcere poßit,
Clausit & æterna ciuica bella sera.
Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coercet.
Et iacit inuita fulmina rara manu.
Ergo tam placidas orator missus ad aures,
Vt propior patriæ sit fuga nostra roga.
Ille ego sum, qui te colui, quem festa solebat
Inter conuiuas mensa uidere tuos.
Ille ego, qui dixi uestros Hymenæon ad ignes,
Et cecini fausto carmina digna toro.
Cuius te solitum memini laudare libellos,
Exceptis domino qui nocuere suo.
Cui tua nonnunquam miranti scripta legebas,
Ille ego, de uestra cui data nupta domo est.
Hanc probat, & primo dilectam semper ab æuo
Est inter comites Martia censa suas.

cui. mono: syllaba

Inq;

Inq; suis habuit matertera Cæsaris ante,
Quarum iudicio si qua probata, proba est.
Ipsa sua melior fama laudantibus istis,
Claudia diuina non eguisset ope.
Nos quoq; præteritos sine labe peregimus annos,
Proxima pars uitæ transilienda meæ est,
Sed de me ut sileam, coniux mea sarcina uestra est,
Non potes hanc salua dißimulare fide.
Confugit hæc ad uos, uestrasq; amplectitur aras,
Iure uenit cultos ad sibi quisq; deos.
Flensq; rogat precibus lenito Cæsare uestris,
Busta sui fiant ut propiora uiri.

AD ELEGIAM QVARTAM ad Rufinum.

RVfinus Ouidio scripserat consolationem, ad illam hic principio respondet Poeta, & docet eum, quid effecerit apud se ipsius Epistola. Multum quidem esse leni tum suũ dolorem ex lectione illius, non tamen extinctum, aut sublatum prorsus, redire sibi in mentem subinde conspectum patriæ, & consuetudinem amicorum, inde recrudescere dolorem, qui tantus sit, ut nulla firma, & perpetua consolatio aduersus eum esse posset. Hunc locum amplificauit primum loco communi de patria, deinde obiectione

iectione, exilium non fieri sibi mitius regionis amœnitate aut commoditate. Inserta est obiter breuis descriptio Scythiæ. Postremo adiecit bene longam collationem sui exilij, cum aliorum magnorum uirorum exilijs, non mirum esse, quod non tam fortiter ferat exilium, quàm pleriq; magni uiri fecerint, cum, contra atq; illic acciderit, in fœdissimum, ac barbarissimum locum missus sit exulatum. Atq; in his duobus locis, obiectione, & collatione diluit argumentum ductum ab exemplo magnorum uirorum similia mala perpessorum, quo usus erat in suo scripto Rufinus. Pertinet autem ad genus deliberatiuũ Elegia. Docet enim, quod cognatum quiddam est cum suadendo, quã quam, si quis ad demonstratiuum genus uellet referre, uon ualde illi repugnarem. Habet etiam aliquid de iudiciali genere, pro eo quod in fine tractatur. Est autem ibi consutatio quædam, ut dixi. Ita uidemus sæpe commisceri genera causarum, & idem scriptum aliter atq; aliter consideratum ad aliud, atq; aliud genus referri posse, ac recte Quintilianus dixit: Stant quodãmodo mutuis auxilijs omnia. De P. Rutilio uide 1. lib. Cic. de Ora. Val. Max. 2. De Diogene Cynico

Cinico. de Laert. Aristide lib. 8. Herod. De Patroclo li. 9. Strab. de Iasone exule 8. eiusdem de Cadmo. 3. transfor. de Tydeo Diod. & Stat. Theb. de Teucro lib. ult. Iustini.

AD RVFINVM.

Hanc tibi Naso tuus mittit Rufine salutem,
Qui miser est, ulli si suus esse potest.
Reddita confusæ nuper solatia menti
Auxilium nostris spemq; tulere malis.
Vtq; Machaonijs Pæantius artibus heros
Lenito medicam uulnere sensit opem,
Sic ego mente iacens & acerbo saucius ictu,
Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et iam deficiens sic ad tua uerba reuixi,
Vt solet infuso uena redire mero.
Nec tamen exhibuit tantas facundia uires,
Vt mea sint dictis pectora sana tuis.
Vt multum demas nostro de pectore curæ,
Non minus exhausto, quod superabit erit.
Tempore ducetur longo fortasse cicatrix,
Horrent admotas uulnera cruda manus.
Non est in medico, semper releuetur ut æger,
Interdum docta plus ualet arte malum.
Cernis, ut è molli sanguis pulmone remissus,
Ad stygias certo limite ducat aquas?

Afferat

Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla uulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoq; interdum nulla medicabilis arte,
Aut si sit, longa est attenuanda mora.
Cum bene firmarunt animum præcepta iacentem,
Sumptaq; sunt nobis pectoris arma tui,
Rursus amor patriæ ratione ualentior omni,
Quod tua fecerunt scripta, retexit opus.
Siue pium uis hoc, seu uis muliebre uocari,
Confiteor misero molle cor esse mihi.
Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patrijs posse uidere focis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Cum bene sint clausæ cauea Pandione natæ,
Nititur in syluas quæq; redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta Leones,
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.
Tu tamen exilij morsus ex pectore nostro,
Fomentis speras cedere posse tuis.
Effice, uos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
Talibus ut leuius sit caruisse malum.

At puto

At puto qua fueram genitus tellure carenti,
In tamen humano contigit esse loco.
Orbis in extremi iaceo desertus arenis,
Fert ubi perpetuas obruta terra niues.
Non ager hic pomum, non dulces educat uuas,
Non salices ripa, robora monte uirent.
Neue fretum laudes terra magis, æquora semper
Ventorum rabie solibus orba tument.
Quocunq; aspicies campi cultore carentes.
Vastaq;, quæ nemo uendicent, arua iacent.
Hostis adest dextra leuaq; à parte timendus,
Vicinoq; metu terret utrunq; latus.
Altera Bistonias pars est sensura sagittas,
Altera Sarmatica spicula missa manu.
I nunc, & ueterum nobis exempla uirorum,
Qui forti casum mente tulere refer.
Et graue magnanimi robur mirare Rutuli,
Non usi reditus conditione dati.
Smyrna uirum tenuit, non pontus, et hostica tellus,
Smyrna minus nullo penè petenda loco.
Non doluit patria Cynicus procul esse Sinopeus,
Legit enim sedes Attica terra tuas.
Arma Neoclides qui Persica contudit armis,
Argolica primam sensit in urbe fugam.

Pulsus

Pulsus Aristides patria, Lacedæmona fugit,
Inter quas dubium, quæ prior esset erat.
Cæde puer facta Patroclus Opunta reliquit,
Thessalicamq; adijt hospes Achillis humum.
Exul ab Aemonia Pirenida cessit ad undam,
Quo duce trabs Colcha sacra cucurrit aqua.
Liquit Agenorides Sidonia mœnia Cadmus,
Poneret ut muros in meliore loco.
Venit ad Adrastum Tydeus Calydone fugatus,
Et Teucrum Veneri grata recepit humus.
Quid referam ueteres Romanæ gentis, apud quos
Exulibus tellus ultima Tybur erat?
Persequar ut cunctos, nulli datus omnibus æuis
Tam procul à patria est horridior ue locus.
Quo magis ignoscat sapientia uestra dolenti,
Quæ facit ex dictis non ita multa tuis.
Nec tamen inficior, si poßint nostra coire
Vulnera, præceptis posse coire tuis.
Sed uereor, ne me frustra sanare labores,
Nec iuuet admota perditus æger ope.
Nec loquor hæc, quia sit maior prudentia nobis,
Sed sim quàm medico notior ipse tibi.
Vt tamen hoc ita sit, munus tua grande uoluntas
Ad me peruenit, consuluiq; boni.

Ad Ele-

AD ELEGIAM QVINTAM ad Vxorem.

OVidius in hac Elegia conqueritur uxori suæ, quod canus fiat, & deformetur, ac debilitetur toto corpore. Id autē fieri non tantum uitio temporis, sed etiam propter anxietatem, & mœrorem. Tanta enim, & tam multa mala se pertulisse, ut si ea recte considerentur, & tempus ex eis existimetur, uel Nestorem ætate se uincere. Deinde ostendit uarijs exemplis, quòd continuus labor, & mala prosternant uires & animi & corporis, & probat se esse ualde miserum per collationem. Confert autem se cū Iasone, qui in ijsdem regionibus multa pericula sustinuit. In fine addit argumentum ab incommodis suæ coniugis, adiuncto uoto de celeri suo in patriam reditu. Typhis fuit rector nauis Argo. De altero, qui fuit aut unà rector eiusdem nauis, aut dux Iasonis, mihi non constat, placet tamen, quod Himantide legunt nonnulli, & Mopsum Apollinis, & Himantis filium socium Iasonis intelligunt.

AD VXOREM.

IAm mihi deterior canis aspergitur ætas,
Iamq; meos uultus ruga senilis arat.
Iam uigor, & quasso languent in corpore uires,
Nec iuueni lusus qui placuere, iuuant.
Nec me, si subito uideas, cognoscere poßis,
Aetatis facta est tanta ruina meæ.
Confiteor facere hoc annos, sed & altera causa est,
Anxietas animi, continuusq; labor.
Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
Crede mihi, Pylio Nestore maior ero.
Cernis, ut in duris (& quid boue firmius?) aruis
Fortia taurorum corpora frangat opus?
Quæ nunquam uacuo solita est cessare nouali,
Fructibus assiduis lassa senescit humus.
Occidet ad circi si quis certamina semper,
Non intermißis cursibus ibit equus.
Firma sit illa licet, soluetur in æquore nauis,
Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.
Me quoq; debilitat series immensa laborum,
Ante meum tempus cogor & esse senex.
Ocia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis,
Immodicus contra carpit utrunq; labor.
Aspice in has partes quod uenerit Aesone natus,
Quam laudem à sera posteritate ferat.

At la-

At labor illius nostro, leuiorq; minorq;,
Si modo non uerum nomina magna premunt.
Ille est in Pontum Pelia mittente profectus,
Qui uix Thessaliæ fine timendus erat.
Cæsaris ira mihi nocuit, quem solis ab ortu,
Solis ad occasus utraq; terra timet.
Iunctior Aemonia est ponto, quàm Roma sit Istro,
Et breuius quàm nos ille peregit iter.
Ille habuit comites primos telluris Achiuæ,
At nostram cuncti deseruere fugam.
Nos fragili ligno uastum sulcauimus æquor,
Quæ tulit Aesoniden firma carina fuit.
Nec mihi Tiphys erat rector, nec Amyntore natus,
Quas fugerem docuit, quas sequererq; uias.
Illum tutata est cum Pallade regia Iuno.
Defendêre meum numina nulla caput.
Illum furtiuæ iuuêre cupidinis artes,
Quas à me uellem non didicisset amans.
Ille domum redijt, nos his moriemur in aruis,
Perstiterit læsi si grauis ira Dei.
Durius est igitur nostrum, fidißima coniunx,
Illo quod subijt Aesone natus opus.
Te quoq;, quam iuuenem discedens Vrbe reliqui,
Credibile est nostris insenuisse malis.
O ego di faciant, talem te cernere poßim,
Caraq; mutatis oscula ferre comis.

Amplectiq; meis corpus non pingue lacertis,
Et gracile hoc fecit dicere cura mei.
Et narrare meos flenti flens ipse dolores,
Sperato nunquam colloquioq; frui.
Thuraq; Cæsaribus cum coniuge Cæsare digna
Dis ueris memori debita ferre manu.
Memnonis hanc utinam lenito Cæsare mater
Quam primum roseo prouocet ore diem.

AD SEXTAM ELEGIAM *ad Maximum.*

COmpositū causæ genus est in hac Elègia. Partim enim petitio est, et eatenus ad deliberatiuum genus pertinet, partim excusatio de inelegantia carminum, & negligentia sua, & eatenus ad iudiciale genus pertinet. Petit autem Poëta à Maximo, ut sua scripta legat, etiamsi inculta sint. Ideo autem sua scripta inculta esse, quod raro scribat, & raro se scribere, nec aut diligentiam in scribendo iustam adhibere, aut quæ scripserit negligere, propterea, quod in tam barbara regione sit, & alioqui uix tantas uires habeat, quæ satis sint ad exilij mala toleranda. Quia autem poterat aliquid obijci à Maximo de fructu huius laboris, ad id respondet, nunq̃ sibi profuisse ullum suum talem la-

lem laborem. Et aliam deinde obiectionem diluit. Ideo autem scribere se, quod aut, pro ut de Poëtis uulgo solet dici, insaniat, aut quia hæc natura sit consueti studij, ut non possit omitti, uel abijci. Hanc obiectionem duabus similitudinibus probat, & argumẽtatur à contrarijs studijs, quibus cum non queat delectari, nõ posse totos dies se in turpi ocio consumere: Insuper etiam hoc se utilitatis ex scriptione uersuum capere, ut obliuiscatur interim suarum calamitatum. Postremo redit ad locum de negligenter scribẽdis, & nõ emendandis poematis, ostendens inutilem, & superuacaneum hunc laborem ferè, cum inter Cretas uersetur, apud quos non sit ista diligentia, & se contentum esse, ut illis hominibus placeat. Non enim sua scripta posse Romam peruenire, propter tam longinquum spatium loci: & ut maxime perueniant, nihil tamen se hoc iuuare. Atq; hęc est secunda pars, quam dixi ad genus iudiciale pertinere.

AD MAXIMVM.

ILle tuos quondam non ultimus inter amicos,
Vt sua uerba legas Maxime Naso rogat.
In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
Nescius exilij ne uideare mei.

Cernis ut ignauum corrumpant ocia corpus?
  Vt capiant uitium ni moueantur aquæ?
Et mihi, si quis erat dicendi carminis usus,
  Deficit, estq; minor factus inerte situ.
Hæc quoq;, quæ legitis, siquid mihi Maxime credis
  Scribimus inuita uixq; coacta manu.
Non libet in tales animum contendere curas,
  Nec uenit in duros musa uocata Getas.
Vt tamen ipse uides, luctor deducere uersum,
  Sed non fit fato mollior ipse meo.
Cum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno,
  Me quoq;, qui feci, iudice digna lini.
Nec tamen emendo, labor hic quàm scribere maior,
  Mensq; pati durum sustinet ægra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius uti,
  Vt sub iudicium singula uerba uocem?
Torquet enim fortuna parũ, nisi Lychus in Hebrũ
  Confluat? & frondes alpibus addat Athos?
Parcendum est animo miserabile uulnus habenti,
  Subducunt oneri colla perusta boues.
At puto fructus adest iustißima causa laborum,
  Et sata cum multo fœnore reddit ager.
Tempus ad hoc nobis (repetas licet omnia) nullum
  Profuit, atq; utinam non nocuisset opus.
Cur igitur scribam miraris, miror & ipse,
  Et tecum quæro sæpe quid inde petam.

An po

An populus uere sanos negat esse poetas?
Sumq́; fides huius maxima uocis ego,
Qui sterili cum sim toties deceptus ab aruo,
Damnosa persto condere semen humo.
Scilicet est cupidus studiorum quisq; suorum,
Tempus & assueta ponere in arte iuuat.
Saucius euitat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui uulneris arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis,
Et ducit remos qua modo nauit aqua.
Sic ego constanter studium non utile seruo,
Et repeto, nollem quas coluisse, deas.
Quid potius faciam? non sum qui segnia ducam
Ocia, mors nobis tempus habetur iners.
Nec iuuat in lucem nimio marcessere uino,
Nec tenet incertas alea blanda manus.
Cum dedimus somno, quas corpus postulat, horas,
Quo ponam uigilans tempora longa modo?
Moris an oblitus patrij contendere discam
Sarmaticos arcus? & trahar arte loci?
Hoc quoq; me studium prohibent assumere uires,
Mensq́; magis gracili corpore nostra ualet.
Cum bene quæsieris, quid agam, magis utile nil est
Artibus ijs, quæ nil utilitatis habent.
Consequor ex illis casus obliuia nostri,
Hanc messem, satis est, si mea reddet humus.

Gloria uos acuat, uos ut recitata probentur
Carmina, Pierijs inuigilate choris.
Quod uenit ex facili satis est componere nobis,
Et nimis intenti causa laboris abest.
Cur ego sollicita poliam mea carmina cura?
An uerear, ne non approbet illa Getes?
Forsitan audacter faciam, sed glorior Istrum
Ingenio nullum maius habere meo.
Hoc ubi uiuendum est, satis est si consequor aruo
Inter inhumanos esse Poeta Getas.
Quid mihi diuersum fama contendere in orbem?
Quem fortuna dedit, Roma sit ille locus.
Hoc mea contenta est infœlix musa theatro.
Sic merui, magni sic uoluere Dei.
Nec reor hinc istuc nostris iter esse libellis,
Quò Boreas penna deficiente uenit.
Diuidimur cœlo, quæq; est procul urbe Quirini
Aspicit hirsutos comminus ursa Getas.
Per tantum terræ, tot aquas uix credere possum
Indicium studij transiluisse mei.
Finge legi, quodq; est mirabile, finge placere,
Autorem certe res iuuat ista nihil.
Quid tibi, si calida prosit lauêre Siene,
Aut ubi Taprobanen Indica tingit aqua?
Altius ire libet, si te distantia longe
Pleiadum laudent signa, quid inde feres?

Sed

Sed neq; peruenio scriptis melioribus isthuc,
Famaq́; cum domino fugit ab Vrbe suo.
Vosq́; quibus perij nunc cum mea fama sepulta est,
Nunc quoq; de nostra morte tacere reor.

AD SEPTIMAM ELEGIAM *ad Græcinum.*

TRes partes principales habet hæc Elegia, exordium, petitionem, & locum communem. In exordio captat beneuolentiam Græcini tum à moribus ipsius, & doctrina, & studijs, quibus cum mansuesiant mores, non potuisse fieri, quin illius casus nuncius ipsi dolorem attulerit, tum à sua erga illum affectione, & iudicio, quòd senserit, cum nonnihil ad se redijsset in ista sui animi consternatione, Græcini absentiam, & quod ab eo, si adfuisset, plurimum potuisset iuuari. In petitione hoc agit, rogat eum, ut conferat suum auxilium ad cæterorum amicorum suorum auxilia, & efficiat sibi unà cum illis clementiorem Cæsarem. Argumentatur deinde à peccati sui qualitate cum extenuatione, & quadam occupatione de origine eius, iubens eum simul de hac re quærere. Locus communis, qui sequitur hoc argumentum, canit Encomium spei

per prosopopœiam. Deam enim ex ea facit poëta & fingit solam ex omnibus deabus relictam esse in terris hominibus solatio. Imitatur autem in hac re Tibullum, in cuius secundo libro simile spei encomium extat: & tota hæc dulcissima, & doctissima fabula ex Hesiodo est desumpta, qui fingit ex pixide Pandoræ omne genus malorum euolasse inter homines, sola ibi retenta spe. Est etiam breuis Epilogus in fine additus, & figuratus iureiurando quodam, atque confirmatus ab impossibili. Repetitur autem in Epilogo petitio. Porro hoc Epistolium ad genus suasorium pertinet.

AD GRAECINVM.

ECquid ut audisti (nam te diuersa tenebat
Terra) meos casus, cor tibi triste fuit?
Dissimules, metuasq; licet Græcine fateri,
(Si bene te noui) triste fuisse liquet.
Non cadit in mores feritas inamabilis istos,
Nec minus à studijs dissidet ista tuis.
Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasq; fugit.
Nec quisquam meliore fide complectitur illas,
Quàm sinit officium, militiæq; labor.

Certe

Certe ego, cum primũ potui sentire, quid essem,
Nam fuit attonito mens mihi nulla diu.
Hanc quoq; fortunam sensi, quod amicus abesses,
Qui mihi præsidium grande futurus eras.
Tecum tunc aberant ægræ solatia mentis,
Magnaq́; pars animi, consilijq́; mei.
At nunc, q̃ super est, fer opem precor eminus unã,
Alloquioq́; iuua pectora nostra tuo.
Quæ (non mendaci si quicquam credis amico)
Stulta magis dici, quàm scelerata decet.
Nec breue, nec tutum est peccati quæ sit origo
Scribere, tractari uulnera nostra timent.
Qualicunq; modo mihi sint ea facta rogare
Desine, non agites, si qua coire uelis.
Quicquid id est, ut nõ facinus, sic culpa uocãda est,
Omnis at in magnos culpa deos scelus est.
Spes igitur menti pœnæ Græcine leuandæ
Non est ex toto nulla relicta meæ.
Hæc dea, cum fugerent sceleratas numina terras,
In dijs inuisa sola remansit humo.
Hæc facit, ut uiuat fossor quoq; compede uinctus,
Liberaq́; à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut, uideat cum terras undiq; nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.
Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit,
Nec spes huic uena deficiente cadit.

Carcere

Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atq; aliquis pendens in cruce uota facit.
Hæc dea quàm multos laqueo sua colla ligantes
Non est proposita passa perire nece?
Me quoq; conantem gladio finire dolorem
Arguit, iniecta continuitq; manu.
Quidq; facis, lachrymis opus est nō sanguine, dixit,
Sæpe per has flecti Principis ira solet.
Quamuis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.
Qui ne difficilis mihi sit, Græcine precare,
Confer & in uotum tu quoq; uerba meum.
Inq; Tomitana iaceam tumulatus arena,
Si te non nobis ista uouere liquet.
Nam prius incipient turres uitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas,
Quàm male se præstet ueteri Græcinus amico.
Non ita sunt fatis omnia uersa meis.

AD OCTAVAM ELEGIAM ad Messalinum.

IN hac etiam Elegia sunt tres partes præcipuę & idem genus causæ, quod in præcedēte est. Partes sunt salutatio, petitio, & epilogus. Salutationem amplificauit circumstantia loci, aut lusu quodam sui nominis, quod

quod in salutatione omiserat, nempe quod à se missa sit Epistola, inde eum scire posse, quod dixerit ex Cretis eam uenire, & sic eti am uotum quoddam plenum affectibus ad dit de alijs amicis Messalini, quibus optat ne in Barbariam ueniant, & satis esse, quod ipse ibi sit. Postea sequitur petitio, quæ tamen occulta tantũ est, non expressa, cæterũ Poeta petit à Messalino, ut patiatur ipsum esse, aut ut minimum dici unum ex amicis eius. Hanc partem uarijs argumentis, & figuris tractauit. Primum ab exclusione periculi, quòd ipsi hoc nihil obsit. Deinde à cõmuni exemplo hominum, quorum multi fingunt se esse amicos Cæsaris. Hoc argumentum corrigit alio argumento à sua modestia sumpto. Tertio argumẽtatur ab amicitia patris eius, & à suis in eum officijs: Itẽ ab amicitia eius fratris. Huic etiam argumẽto subiecit correctionem sumptam ex eadẽ sua humanitate. Ita tamen uelle se hoc pro uero haberi, ita se cupere sibi patere Messalinorum domum, ut non eius fratri noceat. Addit aliam correctionem, significans neq; illi se nociturum hac re, neq; sibi claudi illã domũ deberi, cum in amicitijs hoc incommodũ, ut non peccent amici, non possit caueri,

ueri, & tamen non tolli amicitias. Quarto argumentatur à genere peccati ſui, quod q̃ ſit leue oſtẽdit pœna, qua affectus eſt. Quinto reſpondet ad quandam obiectionem de grauitate caſus ſui per conceſſionem, cecidiſſe quidem ſe grauiter, ſed hoc maieſtati, & potentiæ Cæſaris, non pœnę ſuę per ſe tribuendum eſſe. Ita enim fit, quo maior eſt is à quo punimur, eo magis lædimur, etiamſi per ſe non eſt maior pœna, quàm ſi mediocris aliquis nobis eam irrogaret. In Epilogo repetit petitionem aperte, & illuſtrat eã cum extenuatione ſuorum beneficiorum in Meſſalinorum domum, tum repetitione argumenti ab amicitia fratris eius, & argumento ab officio, & liberalitate Meſſalini. In poſtremis quatuor uerſibus repetit Epilogum.

AD MESSALINVM.

Littera pro uerbis tibi Meſſaline ſalutem,
Quam legis à ſæuis attulit uſq; Getis.
Indicat autorem locus? an niſi nomine lecto
Hæc me Naſonem ſcribere uerba latet?
Et quis in extremo poſitus iacet orbe tuorum,
Me tamen excepto, qui precor eſſe tuus?

Di pro-

Di procul à cunctis, qui te uenerantur, amantq́;,
Huius noticiam gentis abesse uelint.
Non satis est inter glaciem, Scyticasq́; sagittas
Viuere, si uita est mortis habenda genus
Nos premat aut bello tellus, aut frigore cœlum,
Truxq́; Getes armis, grandine pugnet hyems.
Nos habeat regio nec pomis fœta nec uuis,
Et cuius nullum cessat ab hoste latus.
Cætera sit sospes cultorum turba tuorum,
In quibus ut populo pars ego parua fui.
Me miserum, si tu uerbis offenderis istis,
Nosq́; negas ulla parte fuisse tuos.
Vtq́; sit hoc uerum, mentito ignoscere debes,
Nil demit laudi gloria nostra tuæ.
Quis se Cæsaribus notus non fingit amicum?
Da ueniam fasso, tu mihi Cæsar eris.
Nec tamen irrumpo, quo non licet ire, satisq́;
Atria si nobis non patuisse negas.
Vtq́; tibi fuerit mecum nihil amplius, uno
Nempe salutaris quam prius ore minus.
Nec tuus est genitor nos inficiatus amicos,
Hortator studij causaq́;, faxq́; mei.
Cui nos & lachrymas supremū infundere munus,
Et dedimus medio scripta canenda foro.
Adde, quod est frater tanto mihi iunctus amore,
Quantus in Atridis, Tyndaridisq́; fuit.

Is me

Is me nec comitem, nec dedignatus amicum est,
Si tamen hæc illi non nocitura putas.
Sin minus, hac quoq; me mendacem parte fatebor,
Clausa mihi potius tota sit illa domus.
Sed neq; claudenda est, & nulla potentia uires
Præstandi, ne quid peccet amicus, habet.
Et tamen ut cuperem culpam quoq; posse negari,
Sic facinus nemo nescit abesse mihi.
Quod nisi delicti pars excusabilis esset,
Parua relegati pœna futura fuit.
Ipse sed hoc uidit, qui præuidet omnia Cæsar,
Stulticiam dici crimina posse mea.
Quamq; ego permisi, quãq; est res passa, pepercit,
Vsus & est modice fulminis igne sui.
Nec uitam, nec opes, nec ademit posse reuerti,
Si sua per uestras uicta sit ira preces.
At grauiter cecidi, quid enim mirabile, si quis
A Ioue percussus non leue uulnus habet?
Ipse suas quamuis uires inhiberet Achilles,
Missa graues ictus Pelias hasta dabat.
Iudicium nobis igitur cum uindicis adsit,
Non est, cur tua me ianua nosse neget.
Culta quidem (fateor) citra quàm debuit, illa est,
Sed fuit in fatis hoc quoq; (credo) meis.
Nec tamen officium sensit domus altera nostrum,
Hic illi uestro sub lare semper eram.

Quæq;

Quæq; tua est pietas, ut te non excolat ipsum,
Ius aliquod tecum fratris amicus habet.
Quid? q, ut emeritis referenda est gratia semper,
Sic est fortunæ promeruisse tuæ.
Quod si permittis nobis suadere, quod optas,
Vt des, quàm reddes plura, precare deos.
Idq; facis, quantumq; licet meminisse solebas
Officij causa pluribus esse dati.
Quolibet in numero me Messaline repone,
Sim modo pars uestræ non aliena domus.
Et mala Nasonem, quoniam meruisse uidetur,
Si non ferre doles, at meruisse dole.

AD ELEGIAM NONAM ad Seuerum.

SEuero cuidam conqueritur Ouidius de suis malis in hac Elegia, non quidem enarrans omnia, sed summam tantum eorũ sicut ipse in initio statim post salutationem proponit se facturum esse. Dicit autem ad suum exilium hoc mali etiam accedere, quod continuis bellis uexetur, & quod nullo tempore possit tutus esse ab hostibus. Addit deinde historiam de Aegypso Caspiorũ rege, quæ continet causam bellorum cum apostrophe ad regem illum. Post hunc lo-

cum repetit summam querelę & facit occupationem, in qua dicit non se cupere aut quærere commoda urbis Romæ amissa.

AD SEVERVM.

AT tibi dilecto missam Nasone salutem
Accipe pars animæ magna Seuere meæ.
Neue roga quid agam, si persequar omnia, flebis,
Summa satis nostri sit tibi nota mali.
Viuimus aßiduis expertes pacis in armis,
Dura pharetratro bella mouente Geta.
Deq; tot expulßis sum miles in exule solus,
Tuta (neq; inuideo) cætera turba latet.
Quoq; magis nostros uenia dignêre libellos,
Hæc in procinctu carmina facta leges.
Stat uetus urbs ripæ uicina binominis Istri,
Mœnibus & positu uix adeunda loci.
Caspius Aegypsus de se, si creditur ipsis,
Condidit, & proprio nomine dixit opus.
Hanc ferus Odrysijs inopino Marte peremptis
Cepit, & in regem sustulit arma Getes.
Ille memor magni generis, uirtute quod auget,
Protinus innumero milite cinctus adest.
Nec prius absceßit, merita quàm cæde nocentum
Se nimis ulciscens extitit ille nocens.
At tibi rex æuo detur fortißime nostro,
Semper honorata sceptra tenere manu.

Teq;

Teq́;, quod & præstat (quid enim tibi plenius op
Martia cum magno Cæsare Roma probet. (tē?
Sed memor unde abij, queror ô iucunde sodalis,
Accedant nostris sæua quòd arma malis.
Vt careo uobis Scythicas detrusus in oras,
Quatuor autumnos Pleias orta facit.
Nec tu credideris urbanæ commoda uitæ
Quærere Nasonem, quærit & illa tamen.
Nam modo uos animo dulces reminiscor amici,
Nunc mihi cum cara coniuge nata subit.
Atq; domo rursus pulchræ loca uertor ad urbis,
Cunctaq́; mens oculis præuidet illa suis.
Nunc fora, nunc ædes, nūc marmore tecta theatra,
Nunc subit æquata porticus omnis humo.
Gramina nunc campi pulchros spectantis in hortos,
Stagnaq́; & Euripi, ùirgineusq́; liquor.
At (puto) sic urbis misero est erepta uoluptas,
Quodlibet ut saltem rure frui libeat.
Non meus amissos animus desyderat agros,
Ruraq́; peligno conspicienda solo,
Nec quos pomiferis positos in montibus hortos
Spectat Flamineæ Claudia iuncta uiæ.
Quos ego nescio cui colui, quibus ipse solebam
Ad sata fontanas (nec pudet) addere aquas.
Sunt tibi, si uiuunt, nostra quoq; consita quædam,
Sed non & nostra poma legenda manu.

Pro quibus amißis, utinam contingere posset
Hic saltem profugo gleba colenda mihi.
Ipse ego pendentes (liceat modo) rupe capellas,
Ipse uelim baculo pascere nixus oues.
Ipse ego, ne solitis insistant pectora curis,
Ducam ruricolas sub iuga panda boues.
Et discam Getici quæ norunt uerba iuuenci,
Assuetas illis adijciamq; minas.
Ipse manu capulum preßi moderator aratri
Experiar mota spargere semen humo.
Nec dubitem longis purgare ligonibus arua,
Et dare quas sitiens iam bibat hortus aquas.
Vnde sed hoc nobis, minimum quos inter & hostem
Discrimen murus, clausaq; porta facit?
At tibi nascenti (quod toto pectore lætor)
Nerunt fatales fortia fila deæ.
Te modo cãpus habet, dẽsa modo porticus umbra,
Nunc, in quo ponis tempora rara, forum.
Vmbria te reuocat, nec non Albana petentem
Appia feruenti ducit in arua rota.
Forsitan hic optes, ut iustam supprimat iram
Cæsar, & hospitium sit tua uilla meum.
Ah nimiũ est quod amice petis, moderantius opta,
Et uoti (quæso) contrahe uela tui.
Terra uelim propior, nulliq; obnoxia bello
Detur, erit nostris pars bona dempta malis

Ad Ele-

AD ELEGIAM DECIMAM
ad Maximum.

OVidius in hac Elegia respondet ad Epistolam quandã Maximi, in qua erat certior factus de morte Celsi cuiusdam optimi sui amici, & bene Maximo noto. Deplorat autem principaliter mortem Celsi poeta. Estq́ totũ scriptum narratio quædam siue expositio, cuiusmodi sunt plerumq́ respõsiones. Primum ostendit poeta quantum dolorem sibi ista Epistola attulerit. Deinde prædicat fidem Celsi, & cõstantiã in colenda amicitia, cũ ab ipso solo, fugientibus omnibus alijs amicis, non sit desertus in suo casu, & maxime necessario tempore, sed quòd ab eo sit adiutus, defensus, consolatus, & iussus bene sperare, atq́ ibi recitat consolationẽ Celsi multis uerbis. Laudat etiam eum ab obseruantia, & studio erga Maximum, nempe uix alium fuisse, qui coluerit religiosius Maximum, quàm hic Celsus. Addit huic loco grauissimam correctionẽ & sententiosam, nisi plures faciendę sint opes, & generis nobilitas, quàm uirtutes, & ingenium. Deinde cõcludit elegiam, deberi igitur Celso hoc officium pietatis,

ut deploretur, & prædicetur carminibus. Hunc Epilogum ornauit prolixa apostrophe ad Celsum, in qua præter caussam officij, queritur etiam tacite, quod ei non potuerit ea quoque officia præstare, quę à præsentibus soleant præstari. Verum id Maximum fecisse abunde, ex qua eius pietate significat obliquè, se quoque sperare auxilium ab eo, aut potius ita petit ab eo auxilium. Quæ sententia, quia imperfecta est, sic potest perfici: Qui, quoniam extinctis, quæ debet, præstat amicis, nobis quoque debet aliquid officiorum præstare, nos quoque debet iuuare, cum simus & ipsi quodammodo mortui. Alludit autem ad id, quod Iuriscōsulti dicunt deportatos, & proscriptos, ciuiliter esse mortuos.

AD MAXIMVM.

Qvæ mihi de rapto tua uenit epistola Celso,
Protinus est lachrymis humida facta meis.
Quodq; nefas dictu fieri, nec posse putaui,
Inuitis oculis littera lecta tua est.
Nec quicquam ad nostras peruenit acerbius aures,
Vt sumus in Ponto, perueniatq; precor.

Ante

Ante meos oculos tanquam præsentis imago
Hæret, & extinctum uiuere fingit amor.
Sæpe refert animus lusus grauitate carentes,
Seria cum liquida sæpe peracta fide.
Nulla tamen subeunt mihi tempora densius istis,
Quæ uellem uitæ summa fuisse meæ.
Cum domus ingenti subito mea lapsa ruina
Concidit, in domini procubuitq; caput,
Adfuit ille mihi, cum me pars magna reliquit
Maxime fortunæ nec fuit ille comes,
Illum ego non aliter flentem mea funera uidi,
Ponendus quàm si frater in igne foret.
Hæsit in amplexu, consolatuq; iacentem,
Cumq; meis lachrymis miscuit usq; suas.
O quoties uitæ custos inuisus amaræ
Continuit promptas in mea fata manus.
O quoties dixit placabilis ira deorum est,
Viue, nec ignosci tu tibi posse nega.
Vox tamen illa fuit celeberrima, respice quantum
Debeat auxilium Maximus esse tibi.
Maximus incumbet, quaq; est pietate, rogabit
Ne sit ad extremum Cæsaris ira tenax.
Cumq; suis fratris uires adhibebit, & omnem,
Quo leuius doleas, experietur opem.
Hæc mihi uerba malæ minuerunt tedia uitæ,
Quæ modo ne fuerint Maxime uana, caue.

Huc quoq; uenturum mihi se iurare solebat,
Non, nisi te longæ ius sibi dante uiæ.
Nam tua non alio coluit penetralia ritu,
Terrarum dominos quàm colis ipse deos.
Crede mihi multos habeas cum dignus amicos,
Non fuit è multis quolibet ille minor,
Si modo non census, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos, ingeniumq; facit.
Iure igitur lachrymas Celso libamus adempto,
Cum fugerem, uiuo quas dedit ipse mihi.
Carmina iure damus raros testantia mores,
Vt tua uenturi nomina Celse legant.
Hoc est, quod possum Geticis tibi mittere ab aruis,
Hoc solum est istic, quod licet esse meum.
Funera non potui comitare, nec ungere corpus,
Atq; tuis toto diuidor orbe rogis.
Quod potuit, quem tu pro numine uiuus habebas,
Præstitit officium Maximus omne tibi.
Ille tibi exequias, & magni funus honoris
Fecit, & in gelidos uertit aroma sinus
Diluit & lachrymis mœrens unguenta profusis,
Ossaq; uicina condita texit humo.
Qui quoniam extinctis, quæ debet, præstat amicis,
Et nos extinctis annumerare potest.

Ad Ele-

AD ELEGIAM VNDECIMAM ad Flaccum.

IN superioribus epistolis Ouidius sæpe conquestus est de suo exilio, quod præcipuum ipsius malum fuit, & reliquorum malorum, ac doloris omnis caussa, & tanq̃ fons quidam. Est etiam conquestus de aliĳs quibusdam malis quæ cum illis coniuncta fuerunt, ut est loci deformitas, hominũ barbaries, & crebræ hostium incursiones. Nũc aliud quoddam obiter accedens malum suum explicat, & de eo conqueritur Flacco, quòd toto corpore sit languidus, & debilis factus ita, ut nec stomachus appetendo uel cibo, uel potu faciat suum officium, neq; cerebrum sopiendo, & reficiendo corpus somno, & quiete. Hæc principaliter tractantur in hac Elegia. Quod autem ad alias partes, & ordinem earum attinet, hoc sciendũ est: In principio est salutatio, deinde sequitur querela copiose tractata per exclusionem cognati, ut corpus non dolet mihi, non laboro aliquo morbo, sed careo istis usitatis commodis, & recreationibus corporis, quę sunt ex cibo, potu, & somno. Tertio addit correctionem cum imprecatione, Verum

si hoc alicui indicarem, iudicaret me tam delicatum esse. Quod si quis faceret, optarem illi contingere similes delitias. Postea redit ad institutam querelam, ubi diligenter obseruandum est, quòd dicit somnum gracili corpori cibum esse: Est enim eruditum, & physicum. Ad hanc partem adiecit expositionem caussæ istius languoris per occupationem. Non conciliaui mihi hoc malum per intemperantiam, sed ex aquæ usu, & cœli inclementia, atque animi doloribus. Postremo laudat obiter Flaccum, & fratrem eius ab illorum erga ipsum studio. Et rogat eos, ut pergant ita sibi operam ferre, & non desinant Cæsaris iram mitigare tantum, non prorsus tollere, cum sit meritus pœnam. Estque μείωσις, & confessio gratissima.

AD FLACCVM.

NAso suo profugus mittit tibi Flacce salutem,
Mittere rē si quis, qua caret ipse, potest.
Longus enim curis uitiatum corpus amaris,
Non patitur uires languor habere suas.
Nec dolor ullus adest, nec febribus uror anhelis,
Et peragit soliti uena tenoris iter.

Os hebes

Os hebes est, positæq; mouent fastidia mensæ,
Et queror, inuisi cum uenit hora cibi.
Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aër,
Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit.
Nectar, & ambrosiam, latices, epulasq; deorum
Det mihi formosa gnaua iuuenta manu.
Non tamen exacuet torpens sapor iste palatum,
Stabit & in stomacho pondus inerte diu.
Hæc ego non ausim, cum sint uerißima, cuiquam
Scribere, delitias ne mala nostra uocet.
Scilicet is status est, ea rerum forma mearum,
Delitijs etiam poßit ut esse locus.
Delitias illi precor has contingere, si quis,
Ne mihi sit leuior Cæsaris ira, timet.
Is quoq; qui gracili cibus est in corpore somnus,
Non alit officio corpus inane suo.
Sed uigilo, uigilantq; mei sine fine dolores,
Quorum materiam dat locus ipse mihi.
Vix igitur poßis uisos agnoscere uultus.
Quoq; ierit, quæras, qui fuit ante, color.
Paruus in exiles succus mihi permanet artus,
Membraq; sunt cera pallidiora noua.
Non hæc immodico contraxi damna lyeo,
Scis, mihi quod solæ penè bibantur aquæ.
Non epulis oneror, quarum si tangar amore,
Est tamen in Geticis copia nulla locis.

Nec

Nec uires adimit Veneris damnosa uoluptas,
Non solet in mœstos illa uenire toros.
Vnda locusq; nocent, & causa ualentior istis,
Anxietas animi, quæ mihi semper adest.
Hanc nisi tu pariter simili cum fratre leuares,
Vix mens tristiciæ mœsta tulisset onus.
Vos estis fractæ tellus non dura faselo.
Quamq; negant multi, uos mihi fertis opem.
Ferte precor semper, quia semper egebimus illa,
Cæsaris offensum dum mihi numen erit,
Qui meritam nobis minuat, non finiat iram,
Suppliciter uestros quisq; rogate deos.

FINIS PRIMI
libri.

Argumen=

ARGVMENTA ELEGIARVM SECVNDI libri Ouidij de Ponto.

AD ELEGIAM PRIMAM ad Germanicum.

AD Tyberium Augusti priuignum, & Liuię filium quidã putant hanc Elegiam scriptã esse, cognomenq; Germanici à Poëta ei tribui propter res gestas ab eo in Germania, cum alioqui non ipse, sed frater eius Drusus, qui etiã in Germania perijt, & huius postea filius ita appellati sint. Intelligunt etiam triumphum, qui hic describitur, de Tyberij ouatione, cuius meminit Suetonius in uita Tiberij, quorum sanè posterius satis est uerisimile, & mihi etiam placet, prius uero nullam habet uel rationem, uel speciem. Potuit enim Ouidius ad illum Germanicũ scribere, qui fuit Drusi fratris Tyberij filius, princeps & ingenij commendationibus, & laudibus

bellicis pro sua ętate pręstantissimus, quod copiose testatur & Suetonius & Quintilianus: idq́ factum esse ego omnino existimo. Præterea describit Ouidius in hac Elegia illum triumphum, seu ouationem apparatu, & splendore non multo inferiorem triumpho, quàm celebrauit Tyberius Germanis primum ab eo domitis. Hæc est summa negocij. Ordo, & dispositio partium hæc est: Initio gratulatur Poeta Cæsari hunc honorem, & significat, quantam ex ea re uoluptatem ceperit. Secundo per occupationem dicit etiam inuito Cæsare se fruiturum esse illo gaudio, & utitur ibi duobus exemplis, quibus ostendit licere sibi etiam gaudere in hac publica lætícia, ut maxime Cæsarem offenderit. Est autem secundum exemplum elegantissimum, ubi dicit quando imbrem spargat Iuppiter in terram, simul & alias inutiles herbas nasci non tantum utiles: atq; ita se quoq; numine Cæsaris, atq; ope iuuari uel ipso inuito. Tertio loco tractat illam descriptionem triumphi figuratam gratiarum actione & prosoppoœia. Agit enim famæ gratias, quòd ipsius beneficio resciuerit, quomodo tota res illa gesta sit, recitatis singulis par-

lis partibus istius pompæ. In cuius fine ad modum oportune applicat clementiam, qua usum esse Cæsarem in uictos dixerat, ad suam personam. Est autem ibi Augustus intelligēdus, non uel Tyberius, uel Germanicus. Illa enim uictoria parta erat auspicio Augusti. Huic detorsioni adijcit reliquam partem inceptæ descriptionis, cum quadam bona imprecatione, quam amplificauit duplici omine, uel uaticinio. Optat enim Germanico longam uitam, & prædicit ei fore, ut ipse etiam triumphet. Item se olim, nisi pereat in Scythia, illius quoq; triumphum descripturum esse: nec fefellit eum animi sui diuinatio, præsertim quod ad prius uaticinium attinet. Egit enim post illa tempora Germanicus, amplissimum, & splendidissimum triumphum de Germanis, carissimus toti exercitui, & omnibus ordinibus in Vrbe. Tandem fraude patrui sui, & patris adoptiui Tyberij dicitur perijsse, quibus de rebus est scriptum apud Suetonium in uita Caligulæ.

Publij

PVB. OVIDII NASONIS DE Ponto Liber Secundus.

AD GERMANICVM.

HVc quoq; Cæsarei peruenit fama triumphi,
(ra noti.
Languida quo fessi uix uenit au
Nil fore dulce mihi scythica regiõe
Iã minus hic odio est, q̃ fuit ante, locus. (putaui,
Tandem aliquid pulsa curarum nube serenum
Vidi, fortunæ uerba dediq; meæ.
Nolit ut illa mihi contingere gaudia Cæsar,
Velle potest cuiuis hæc tamen una dari.
Di quoq; ut à cunctis hilari pietate colantur,
Tristiciam poni per sua festa iubent.
Deniq; quod certus furor est audere fateri,
Hac ego læticia, si uetet ipse, fruar.
Iuppiter utilibus quoties rigat imbribus agros,
Mista tenax segeti crescere lappa solet.
Nos quoq; frugiferum sentimus inutilis herba
Numen, & inuita sæpe iuuamur ope.
Gaudia Cæsareæ mentis pro parte uirili
Sunt mea, priuati nil habet illa domus.
Gratia, fama tibi per quàm spectata triumphi,
Incluso medijs est mihi pompa Getis.

Indice te didici, nuper uisenda coisse
Innumeras gentes ad ducis ora sui.
Quæq; capit latis immensum mœnibus orbem,
Hospitijs Romam uix habuisse locum.
Tu mihi narrasti, cum multis lucibus ante
Fuderit aßiduas nubibus auster aquas,
Numine cœlesti solem fulsisse serenum,
Cum populi uultu conueniente die.
Atq; ita uictorem cum magnæ uocis honore
Bellica laudatis dona dedisse uiris.
Claraq; sumpturum pictas insignia uestes,
Thura prius sanctis imposuisse focis.
Iusticiaq; sui castos placasse parentes
Illo quo templum pectore semper habet.
Quaq; ierit foelix adiectum plausibus omen,
Saxaq; roratis erubuisse rosis.
Protinus argento ueros imitantia muros
Barbara cum uictis oppida lata uiris.
Fluminaq; & montes, & in altas proflua syluas,
Armaq; cum telis instrue iuncta suis.
Deq; triumphorum, quod sol incenderat, auro
Aurea Romani tecta fuisse fori.
Totq; tulisse duces captiuos addita collis
Vincula penè hostes quot satis esse fuit.
Maxima pars horum uitam ueniamq; tulere,
In quibus & belli summa caputq; fuit.

 Cur ego

Cur ego posse negem minui mihi Cæsaris iram,
Cum uideam mites hostibus esse deos.
Pertulit hoc idem nobis Germanice rumor,
Oppida sub titulo nominis esse tui.
Atq; ea te contra nec muri mole, nec armis,
Nec satis ingenio tuta fuisse loci.
Di tibi dent annos, à te nam cætera sumes,
Sint modo uirtuti tempora longa tuæ.
Quod precor eueniet, sunt quædam oracula uatū,
Nam deus optanti prospera signa dedit.
Te quoq; uictorem Tarpeias scandere in arces
Læta coronatis Roma uidebit equis.
Maturosq; pater nati spectabit honores,
Gaudia præcipiens, quæ dedit ante suis.
Iam nunc hæc à me iuuenum belloq;, togáq;
Maxime dicta tibi uaticinante nota.
Hunc quoq; carminibus referam fortasse triumphū,
Sufficiat nostris si modo uita malis.
Imbuero Scythicas si non prius ipse sagittas,
Abstuleritq; ferox hoc caput ense Getes.
Quod si me saluo dabitur tua laurea templis,
Omnia bis dices uera fuisse mea.

AD ELEGIAM SECVNDAM
ad Messalinum.

LOcus principalis in hac Elegia est peti tio. Itaq; ad genus deliberatiuum perti net,

net, petit autem à Messalino idem, quod supra sæpe ab alijs suis amicis petiuit. Sed hic aliquando copiosius, ut suscipiat ipsius causam agendã apud Cæsarẽ eamq́ agat cũ diligenter, tũ caute, & in summa, ut sibi impetret à Cęsare mitigationẽ exilij cõmodiore loco. Hãc partem uarie splendideq́ tractauit, sicut indicabimus, ubi ad eã nos ordo perduxerit. Nũc singulas partes totius scripti ordine recensebimus. Prima pars est salutatio, secunda insinuatio prolixa. Petit enim à Messalino Ouidius, ut perlegat hãc eius epistolã eodẽ uultu & animo, quo, antequam relegatus sit, consueuerit eius scripta legere. Non enim flagitiose, aut impie se fecisse, quanq́ deliquerit grauiter, quod offenderit Cęsarem, nec se ulli alij nocuisse, q́ sibi. Pręterea tantũ imprudentiam, & timiditatẽ esse suum peccatum. Atq́ sic errorẽ simul confitetur, & extenuat, postea facit talem antipophoram: Fateor te mihi merito alienum factum post hanc offensionem Cæsaris, sed tamen non ideo non ad te confugiam, uel si aperte mihi mineris malũ. Id quod ut uideatur recte facere, ponit aliquot exempla quibus ostendit sæpe inimicos

ab inimicis, hostes ab hostibus auxilium petiuisse, & esse consecutos. Huic loco an-nectit obiectonem: Sed dixerit aliquis non est tutum ita facere. Ad id respondet per cõ-cessionem: Fateor hoc. Et addit, quo infir-mat tamen illam obiectionem: Sed alioqui nihil est tutum apud me, nec possum in gra uius malum uenire, quàm est, in quo nunc sum. Idq; solere facere miseros, præ magno metu, ut effugiant magnum malum, ad eos confugere, apud quos non sint tuti. Hac lon ga petitione, & uarijs argumentationibus, sibi tanq; aditum pręparat ad principalem petitionem. Vocaui autem hanc partem ideo insinuationem, quia remouet aliquo modo absurdum, quod obijci poterat, & obstare uidebatur, nempe quod in Cæsarē deliquisset, & esset nunc exul ob hoc deli-ctum. Est enim propemodum idem in ex ordijs insinuatio, quod est in alijs partibus occupatio. Insinuari autem est illabi, & irre pere in animos hominum, paulatim decli-natis, uel mitigatis absurdis, & lædentibus nonnihil nostram causam. Da præcor ac-cessum &c. Sequitur nunc principalis pars, in qua dixi Poëtam petere à Messalino, ut ipsius causam agat, & exilio mitiorem locū à Cæ-

à Cæſare impetret. Huic ſtatim initio mul-
tis uerbis tractatæ, & ſæpe repetitæ addit
duas circumſtantias cum amplificatione ſe-
cundæ circumſtantię. Prima eſt quomodo
debeat à Meſſalino hoc negocium curari.
Secundo quo tempore debeat hoc fieri, quā
do Cæſar ſit lætus. Amplificatio huius eſt,
quòd nunc ſit hoc tempus, cum in nulla re
fortuna aduerſetur Cæſari. Deinde argumē
tatur à ſtudio Meſſalini erga Cæſarem cum
quadam collatione ſtudij eorum, qui fue-
runt propinquiores Cæſari. Et addit epi-
phonema cum repetitione petitionis. Po-
ſtea ſequitur argumentū ab honeſto, itē ab
ante acta uita Poetę, & ſecūda repetitio peti
tionis. Iſtis locis eſt adiecta dilutio cuiuſdā
obiectionis de difficultate eius rei, quā pete
bat Ouidius. Diluit autē eā oppoſita bene
ficij magnitudine, & Cęſaris clemētia. Sub
finē per occupationē dicit ſeipſum non poſ
ſe hoc à Cęſare petere cum tam procul abſit
Roma, & deinde cōcludit epiſtolā tertio re-
petita petitione. Itē repetita altera circūſtan
tia de modo agendi negociū apud Cęſarē.

AD MESSALINVM.

ILle domus ueſtræ primis uenerator ab annis
Pulſus ad Euxini Naſo ſiniſtra freti

Mittit ab indomitis hanc Messaline salutem,
Quam solitus præsens est tibi ferre, Getis.
Hei mihi, si lecto uultus tibi nomine non est,
Qui fuit, & dubitas cætera perlegere,
Perlege, nec mecum pariter mea uerba relega,
Vrbe licet uestra uersibus esse meis.
Non ego concepi, si Pelion Ossa tulisset,
Clara mea tangi sydera posse manu.
Nec nos Enceladi dementia castra secuti,
In rerum dominos mouimus arma deos.
Nec quod Tytidæ temeraria dextera fecit,
Numina sunt telis ulla petita meis.
Est mea culpa grauis, sed quæ me perdere solum
Ausa sit, & nullum maius adorsa nefas.
Nil nisi non sapiens possum timidusq́; uocari.
Hæc duo sunt animi nomina uera mei.
Esse quidem fateor meritam post Cæsaris iram
Difficilem precibus te quoq; iure meis.
Quæq; tua est pietas in totum nomen Iuli,
Te lædi cum quis læditur inde putas.
Sed licet arma feras, & uulnera sæua mineris,
Non tamen efficies, ut timeare mihi.
Puppis Achæmeniden Graium Troiana recepit,
Profuit & Myso Pelias hasta duci.
Confugit interdum templi uiolator ad aram,
Nec petere offensi numinis horret opem.

Dixert

Dixerit hoc aliquis tutuu non esse fatemur,
Sed non per placidas sit mea nauis aquas.
Tuta petant alij, fortuna miserrima nostra est,
Nam timor euentus deterioris abest.
Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Porriglt ad spinas duraq; saxa manus.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
Audet in humanos fessa uenire sinus,
Nec se uicino dubitat committere tecto
Quæ fugit infestos territa ceruacanes.
Da precor accessum lachrymis mitissime nostris.
Nec rigidam timidis uocibus obde forem.
Verbaq; nostra fauens Romana ad numina perfer,
Non tibi Tarpeio culta Tonante minus.
Mandatiq; mei legatus suscipe causam,
Nulla meo quamuis nomine causa bona est.
Iam prope depositus certe iam frigidus æger
Seruatus per te, si modo seruor, ero.
Nunc tua pro rebus nitatur gratia lapsis,
Principis æterni quam tibi præstat amor.
Nunc tibi & eloquij nitor illa domesticus adsit,
Quo poteras trepidis utilis esse uiris.
Viuit enim in uobis facundi lingua parentis,
Et res hæredem repperit illa suum.
Hanc ego non, ut me defendere tentet, adoro.
Non est confeßi causa tuenda rei.

certe iam

Non tamen excuſes erroris origine factum,
 An nihil expediat tale monere uide.
Vulneris id genus eſt, quod cum ſanabile non ſit,
 Non hoc tractari tutius eſſe puto.
Lingua ſile, non eſt ultra narrabile quidquam,
 Poſſe uelim cineres obruere ipſe meos.
Sic igitur, quaſi me nullus deceperit error
 Verba face, ut uita, quam dedit ipſe, fruar.
Cumq́; ſerenus erit, uultuſq; remiſerit illos,
 Qui ſecum terras imperiumq́; mouent,
Exiguam ne me prædam ſinat eſſe Getarum,
 Detq́; ſolum miſeræ mite precare fugæ.
Tempus adeſt aptum precibus, ualet ille, uidetq́;
 Quas fecit, uires Roma ualere tuas.
Incolumis coniunx ſua puluinaria ſeruat,
 Promouet imperium filius Auſonium.
Præterit ipſe ſuos animo Germanicus annos,
 Nec uigor eſt Druſi nobilitate minor.
Adde nurus nepteſq; pias caroſq; nepotes,
 Cæteraq; auguſtæ membra ualere domus.
Adde triumphatos modo Pæonas, adde quieti
 Subdita montanæ brachia Dalmatiæ.
Nec dedignata eſt abiectis Illyris armis,
 Cæſareum famulo uertice ferre pedem.
Ipſe ſuper currum placido ſpectabilis ore
 Tempora phœbea uirgine nexa tuli.

Quem

Quem pia uobiscum proles comitauit euntem
  Digna parente suo nominibusq; datis.
Fratribus aßimilis, quos proxima templa tenentes
  Diuus ab excelsa Iulius æde uidet.
His Messalinus, quibus omnia cedere debent,
  Primum lætitiæ non negat esse locum.
Quidquid ab his superest, uenit in certamē amoris,
  Hac hominum nulli parte secundus erit.
Hanc colit, ante diem per quam decreta merenti
  Venit honoratis laurea digna comis.
Fœlices, quibus hos licuit spectare triumphos,
  Et ducis ore deos æquiparante frui.
At mihi Sauromatæ pro Cæsaris ore uidendi,
  Terraq; pacis inops, undaq; iuncta gelu.
Si tamen hoc audis, & uox mea peruenit istuc,
  Sit tua mutando gratia blanda loco.
Hoc pater ille tuus primo mihi cultus ab æuo,
  Siquid habet sensus umbra diserta, petit.
Hoc petit & frater, quamuis fortasse ueretur
  Seruandi noceat ne tibi cura mei.
Tota domus rogat hoc, nec tu potes ipse negare
  Et nos in turbæ parte fuisse tuæ.
Ingenij certe, quo nos male sensimus usos
  Artibus exceptis sæpe probator eras.
Nec mea, si tantum peccata nouißima demas,
  Esse potest domui uita pudenda tuæ.

 Sic igi-

Sic igitur uestræ uigeant penetralia gentis,
Curaq; sit superis Cæsaribusq; tui.
Mite sed iratum merito mihi numen adora,
Eximar ut Scythici de feritate loci.
Difficile est fateor, sed tendit in ardua uirtus,
Et talis meriti gratia maior erit.
Nec tamen Aetnæus uasto Polyphemus in antro
Accipiet uoces, Antiphates ue tuas.
Sed placidus facilisq; parens ueniæq; paratus,
Et qui fulmineo sæpe sine igne tonat.
Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis & ipse,
Cuiq; ferè pœnam sumere pœna sua est.
Victa tamen uitio est huius clementia nostro,
Venit & ad uires ira coacta suas.
Qui quoniam patria toto sumus orbe remoti,
Non licet ante ipsos procubuisse deos.
Quos colis ad superos perfer mandata sacerdos,
Adde sed & proprias ad mea uerba preces.
Sic tamen hæc tenta, si non nocitura putabis,
Ignoscas, timeo naufragus omne fretum.

AD ELEGIAM TERTIAM ad Maximum.

HAec Elegia est generis demonstratiui, & habet locum principalem laudationē, quę statim subijcitur exordio, in quo captat be-

ptat beneuolentiã partim à Maximi uirtu-
tibus, & nobilitate, partim à sua erga eũ ob
seruantia. Laudat autẽ poeta Maximũ pro
pter fidẽ, & constantiã in retinenda, & agno
scenda amicitia, quod, cũ ab alijs omnibus
amicis desertus sit in hoc suo casu, ab ipso
tantũ cum alijs uno, aut altero nõ sit deser-
tus, ita tamẽ, ut inter illos etiã duos, uel tres
ipse caput, uel author fuerit tanti beneficij,
& auxilij ferendi. Hęc est summa rei, quę co
piosissime, et splendidissime est tractata, pri
mũ per locum communem de uulgaribus
amicitijs, quę cũ rebus nascuntur, et pereũt,
sicut festiuissime inquit etiã Horatius: Dif-
fugiũt cadis cũ fece siccatis amici, Ferre iu-
gũ pariter dolosi. Hic locus etiã est tãq; per-
petua quædam repetitio, & potest exemplũ
esse expolitionis schematis Rethorici. Dein
de per collationẽ cũ alijs amicis, tũ ijs, à qui
bus desertus erat, tum uno aut altero, à qui-
bus nõ erat desertus. Hęc pars ornata est sen
tentia, seu epiphonemate quodam de iudi-
cio Maximi, eum ideo hoc facere, quod cen
seat uirtutem per se amandam, & quia eam
sententiam ter repetit alijs uerbis, ibi quoq;
expolitio est. Ornata est etiam collatio
exemplo Achyllis, Pirithoi & Pyladis,
quibus

quibus adiecit adhortatiunculã, & auxesin, quòd tanto magis pro ipso pugnet Maximus, quanto magis oppugnetur à fortuna. Itẽ repetitione allegorica, cũ se quassam nauem appellat, Maximum guberuatorem eius. Item nihil omittit, quod ad plenissimas laudes in tali re pertineat. Quia uero uidebantur coniunctæ esse illæ cum quadam Cæsaris contumelia, & ipsius Maximi periculo, mitigat hoc per occupationem, uel antipophoram. Primum quidem eum ipsi iuste iratum fuisse, quod fecisset contra tantum principem, sed tamen, quàm primum audiuerit de cladis eius initijs, coactum esse remittere irã & consolari se, ad quod uel imprimis uetustissima ipsorũ inter se amicitia sit excitatus. Atq; ibi per occasionẽ illã ualde prędicat, & tandẽ redit ad laudes Maximi, et cõmoratur in eis usq; ad finẽ epistolę, nisi quod in postremis sex uersibus bene precatur ei uicissim pro tam pręclaris meritis.

AD MAXIMVM.

MAxime qui claris nomen uirtutibus æquas,
Nec sinis ingenium nobilitate premi,
Culte mihi, quid enim status hic à funere differt?
Supremum uitæ tempus ad usq; meæ,

Rem

Rem facis, afflictum non aduersatus amicum,
Qua non est æuo rarior ulla tuo.
Turpe quidem dictu, sed si modo uera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura quid expediat prior est, q̃ quid sit honestum,
Et cum fortuna statq́; , caditq́; fides.
Nec facile inuenies multis in millibus unum
Virtutem precium qui putet esse sui.
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non mouet, & gratis pœnitet esse probum.
Nil, nisi quod prodest, carum est, en detrahi menti
Spem fructus auidæ, nemo petendus erit.
At reditus iam quisq; suos amat, & sibi quid sit
Vtile sollicitis computat articulis.
Illud amicitiæ quondam uenerabile nomen
Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.
Quo magis admiror non ut torrentibus undis
Communis uitij te quoq; labe trahi.
Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est,
Quæ simul intonuit proxima quæq; fugat.
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flauit uelis aura secunda meis,
Vt fera nymboso tumuerunt æquora uento,
In medijs lacera naue relinquor aquis.
Cumq́; alij nolint etiam me nosse fateri,
Vix duo proiecto tres ue tulistis opem.

Quorum

Quorũ tu princeps, neq; enim comes esse sed autor,
Nec petere exemplum, sed dare dignus eras.
Te nihil exacto nisi nos peccasse fatentem
Sponte sua probitas officiumq; iuuant.
Iudice te mercede caret per seq; petenda est
Externis uirtus incomitata bonis.
Turpe putas abici, quia sit miserandus amicus,
Quodq; sit infœlix desinere esse tuum.
Mitius est lapso digitum supponere mento,
Mergere quàm liquidis ora natantis aquis.
Cerne quid Aeacides post mortem præstet amico,
Instar & hanc uitam mortis habere puta.
Pirithoum Theseus stygias comitauit ad undas,
A stygia quantum mors mea distat aqua?
Adfuit insano iuuenis Phocéus Oresti,
Et mea non minimum culpa furoris habet.
Tu quoq; magnorum laudes admitte uirorum,
Vt facis & lapso, quã potes, affer opem.
Si bene te noui, si, qui prius esse solebas,
Nunc quoq; es, atq; animi non cecidere tui,
Quo fortuna magis sæuit, magis ipse resistis,
Vtq; decet, ne te uicerit illa, caues.
Et bene uti pugnes bene pugnans efficit hostis,
Sic eadem prodest causa, nocetq; mihi.
Scilicet indignum iuuenis rarißime ducis
Te fieri comitem stantis in orbe deæ.

Firmus

Firmus es, & quoniam non sunt hæc qualia uelles,
Vela regis quassæ qualiacunq; ratis.
Quæq; ita concussa est, ut iam casura putetur,
Restat adhuc humeris fulta carina tuis.
Ira quidem primo fuerat tua iusta, nec ipso
Lenior, offensus qui mihi iure fuit.
Quiq; dolor pectus tetigisset Cæsaris alti,
Illum iurabas protinus esse tuum.
Vt tamen audita est nostræ quoq; cladis origo,
Diceris erratis ingemuisse meis.
Tunc tua me primum solari littera cœpit,
Et læsum flecti spem dare posse deum.
Mouit amicitiæ tum te constantia longæ,
Ante tuos ortus quæ mihi cœpta fuit.
Et quod eras alijs factus, mihi natus amicus,
Quodq; tibi in cunis oscula prima dedi,
Quod, cũ uestra domus teneris mihi semp ab annis
Culta sit, esse uetus nunc tibi cogor onus.
Me tuus ille pater Latiæ facundia linguæ,
Qui non inferior nobilitate fuit,
Primus ut auderem committere carmina famæ,
Impulit, ingenij dux fuit ille mei.
Nec, q̃ sit primo nobis à tempore cultus,
Contendo fratrem posse referre tuum.
Te tamen ante omnes ita sum complexus, ut una
Quolibet in casu gratia nostra foret.

Vltima

Vltima me tecum uidit, mœstisq; cadentes
Excepit lachrymas Italis ora genis.
Cum tibi quærenti, num uerus nuncius esset,
Attulerat culpæ quem mala fama meæ.
Inter confessum medius dubieq; negantem
Hærebam pauidas dante timore notas.
Exemploq; niuis, quam mollit aquaticus auster,
Gutta per attonitas ibat oborta genas.
Hæc igitur referens & quod mea crimina primi
Erroris uenia posse latere uides.
Respicis antiquum lapsis in rebus amicum,
Fomentisq; iuuas uulnera nostra tuis.
Pro quibus optandi si nobis copia fiat,
Tam bene pro merito commoda mille precor.
Sed si sola mihi dentur tua uota, precabor,
Vt tibi sit saluo Cæsare salua parens.
Hæc ego cum faceres altaria pinguia thure,
Te solitum memini prima rogare deos.

AD ELEGIAM QVARTAM ad Atticum.

Miro artificio, & ratione est scriptum hoc epistolium. Exhortatur enim Atticum Poëta ad constãter colendam amicitiam obliquè & tanq; aliud agens, ostendẽs nec aliter eum facere, aut debere fieri. Atq; ita est

ita est mixti generis hæc Elegia ex iudiciali aliquid habens, & ex suasorio. Ordo partium hic est: Interrogat primum Atticũ post salutationem, quæ tamen imperfecta est, memor ne sit adhuc ipsius in illa calamitate, an non. Deinde subijcit deierans se non posse id de ipso credere, aut putare, quod liceat ei hoc facere, cum fuerint inter se familiarissimi semper. Et sic recitat uaria illius consuetudinis officia per distributionem, qui totus locus est probatio superioris subiectionis, quæ cum sua interrogatione est uelut propositio, uel potius caput exhortationis. Huic enumerationi uariorum officiorum adiecit ἀδιάλλακτον, uelut epiphonema, seu Epilogũ, propterea impossibile esse, ut ipsius ille obliuiscatur. Idq; ut præstet, aperte cum in postremis quatuor uersiculis admonet, & petit ab eo. Hic etiã considerandũ est Ouidiũ ideo usum esse tali artificio in hoc scripto, quod facilius impetratur aliquid ab hominibus honestis, qualis omnino fuit Pomponius Atticus, aut quibus alioqui est paulo erectior natura, quando sciunt, aut putant à se expectari beneficium, & de se liberaliter sentiri, & iudicari. Dico honestis, et quibus est paulo erectior natura, quia

inhonesti, ut sunt auari, maliciosi, petulantes, & similes abutuntur sicut aliis rebus, ita credulitate quoque hominum, unde etiam uersiculus Theognidis est: πίστει χρήματ' ὄλεσα, ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα. Item Epicharmi sententia: νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, humiles & abiecti ne tanguntur quidem cogitatione, aut cura talium rerum.

AD ATTICVM.

Accipe colloquium gelido Nasonis ab Istro
Attice iudicio non dubitate meo.
Ecquid adhuc remanes memor infoelicis amici?
Deserit an partes languida cura suas?
Non ita di mihi sunt testes, ut credere possim,
Fasque putem iam te non meminisse mei.
Ante meos oculos præsto est tua semper imago,
Et uideor uultus mente uidere tuos.
Seria multa mihi tecum collata recordor,
Nec data iucundis tempora pauca iocis.
Sæpe citæ longis uisæ sermonibus horæ,
Sæpe fuit breuior, quàm mea uerba, dies.
Sæpe tuas uenit factum modo carmen ad aures,
Et noua iudicio subdita musa tuo est.
Quod tu laudabas populo placuisse putabam,
Hoc precium curæ dulce regentis erat.

Vtq; meus lima rasus liber esset amici,
Non semel admonitu facta litura tuo est.
Nos fora uiderunt pariter nos porticus omnis,
Nos uia, nos iunctis curua theatra locis.
Deniq; tantus amor nobis carissime semper,
Quantus in Aeaciden Actoridenq; fuit.
Non ego si biberes securæ pocula lethes,
Excidere hæc credam pectore posse tuo.
Longa dies citior brumali tempore, noxq;
Tardior hyberna solstitialis erit.
Nec Babylon æstum, nec frigora pontus habebit,
Calthaq; pestanas uincet odore rosas,
Quàm tibi nostrarum ueniant obliuia rerum.
Non ita pars fati candida nulla mei est.
Ne tamen hæc dici posit fiducia mendax,
Stultaq; credulitas nostra fuisse caue.
Constantiq; fide uterem tueare sodalem,
Qua licet & quantum non onerosus ero.

AD ELEGIAM QVINTAM *ad Solanum.*

GRatiarum actio est hæc Elegia ex magna parte. Quamq; enim laudat etiam Solanũ Ouidius, tamen hoc eatenus facit, quatenus gratiarũ actioni seruit. Et sunt tales sanè omnes ferè gratiarũ actiones, ut laudis etiam aliquid contineant, id est, enume-

 ratio-

rationem honestorum officiorum collatorum in nos, uel in alios cum aliqua prædicatione eorum. Cæterum in hoc genere argumenti hoc præcipue agitur, ut illi, cui aguntur gratiæ, persuadeatur, aut planum fiat nobis id, quod nostro nomine, aut aliorum factum est, gratum, & iucundũ esse, memoresq́ꝫ nos fore, & paratos ad uicissim benefaciendum. In principio epistolæ est salutatio, humaniter, & lepide ornata per uotum, quo optat poeta, ut Solanus ita sit uere saluus, sicut ei scripserit salutem. Deinde sequitur enumeratio officiorũ, propter quæ ei gratias agit, & pręcedenti uoto adhæret, tanq̃ causa eius. Tertio additur amplificatio à circumstantia loci, cum quadam uberiore prædicatione illorum officiorum, & extenuatione ipsius ingenij, repetitionéqꝫ gratiarũ actionis. Extenuationis adijcit uel correctionem, uel interpretationẽ: Ad tenues materias utcunqꝫ sibi non deesse uires ingenij, in magnis uero succumbere se, qualis sit triumphus Germanicus, quem nuper etiam inceperit describere, sed propter magnitudinem & grauitatem rei, non pro dignitate tractauerit. Inijcitur ibi obiter petitio de tutela eius descriptionis. Postea

stea

ftea laudat Solanum ab humanitate, à fami liaritate Germanici, qui fuit, sicut supra in prima Elegia huius libri indicauimus, filius Drusi, qui perijt in Germania. Item à facundia ipsum, & Germanicum, qui locus etiam destinatus est ad superiorem prædicationem officiorum, sicut ostendunt duo uersus in fine eius partis adiecti, qui incipiunt: Huic tu cũ placeas. Hos sequit̃ causa beneuolentię Solani erga ipsũ, petita à collatione studiorũ. Cæterũ hũc uersũ: Thyrsus enim nobis gestata est laurea uobis. sic puto legendũ esse mutatis inter se dictionibus, nobis, & uobis, & parũ sanè ad rem uidetur facere, quod quidã in expositione huius loci dicunt, intelligentes per Thyrsum tractationem armorum, seu rem militarem, per lauream coronam poeticam, seu ipsam poëticam. Contra potius debent hæc exponi. Laurea enim fuit insigne imperatorũ apud ueteres, & quod Baccho fuerint sacri poetę, apparet ex Elegia, quæ extat in ultimo libro de Tristibus ad Bacchũ scripta. Ideoq́ per Thyrsum significatur poetica, atq; hæc est simpliciter horum uersuũ sententia meo iudicio. Confert hic poeta studium poeticę cum studio eloquentiæ, ita tamen, ut elo-

quentia castrensis intelligatur, aut ut militaris gloria collationi admisceatur, quod ut magis putem, facit etiam uersiculus sequēs: Et cum militijs sacra tuenda putes. Mallem quidem de tota facundia, & poetica intelligant hanc partem, non admixta re bellica, sed obstāt mihi uocabula laurea, & militijs, nisi quis uelit exponere lauream etiam pro studio Rhetorices, quod nescio quomodo fieri possit, sed priorem interpretationem suspicor ueram & huicloco consentaneam esse. Puto etiam in sexto uersu à fine legendū esse uestro non nostro. Postremo hi duo uersus octauus, & septimus à fine diligenter obseruandi sunt, ubi dicit Poeticen, & Rhetoricen mutuo sibi prodesse, & tanꝗ mutuas operas tradere. Quintilianus etiam docet in 10. libro, poetarum lectionem multum Oratori prodesse.

AD SOLANVM.

Condita disparibus numeris ego Naso Solano
Præposita misi uerba salute meo,
Quæ rata sit cupio rebusq; ut comprobet omen,
Te precor ut saluo poßit amice legi.
Candor in hoc æuo res inter mortua penè
Exigit ut faciam talia uota tuus.

Nam

Nam fuerim quamuis modico tibi iunctus ab usu,
Diceris exilijs ingemuisse meis.
Missaq; ab Euxino legeres cum carmina ponto
Illa tuus iuuit qualiacunq; fauor.
Optastiq; breuem fieri mihi Cæsaris iram,
Quod tamen optari, si sciat ipse, sinat.
Moribus ista tuis tam mitia uota dedisti,
Nec minus iccirco sunt ea grata mihi.
Quodq; magis mouear e malis doctissime nostris,
Credibile est fieri conditione loci,
Vix hac inuenies totum (mihi crede) per orbem,
Quæ minus augusta pace fruatur humus.
Tu tamen hic strictos inter fera prælia uersus
Et legis, & lectos ore fauente probas.
Ingenioq; meo, uena quod paupere manat,
Plaudis, & è riuo flumina magna facis.
Grata quidem sunt hæc animo suffragia nostro,
Vix sibi cum miseros posse placere putes.
Dum tamen in rebus tentamus carmina paruis,
Materiæ gracili sufficit ingenium.
Nuper ut huc magni peruenit fama triumphi,
Ausus sum tantæ sumere molis onus.
Obruit audentem grauitas rerumq;, nitorq;,
Nec potui cœpti pondera ferre mei.
Illic, quam laudes, erit officiosa uoluntas.
Cætera materia debilitante iacent.

Quid si forte liber uestras peruenit ad aures,
Tutelam mando sentiat ille tuam.
Hæc tibi facturo, uel si non ipse rogarem,
Accedet cumulus gratia nostra leuis.
Non ego laudandus, sed sunt tua pectora lacte
Et non calcata candidiora niue.
Mirarisq; alios, cum sis mirabilis ipse,
Ne lateant artes, eloquiumq; tuum.
Te iuuenum princeps, cui dat Germania nomen,
Participem studij Cæsar habere solet.
Tu comes antiquus, tu primis iunctus ab annis
Ingenio mores æquiparante places.
Te dicente prius fit protinus impetus illi,
Teq; habet, elicias qui sua uerba tuis.
Cum tu desistis, mortaliaq; ora quierunt,
Tectaq; non longa conticuere mora,
Surgit Iuleo iuuenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer ortus aquis,
Dumq; silent, astat, status est uultusq; diserti,
Spemq; docens doctæ uocis amicus habet.
Mox, ubi pulsa mora est, atq; os cœleste solutum,
Hoc superos iures more solêre loqui.
Atq; hæc est dicas facundia principe digna,
Eloquio tantum nobilitatis inest.
Huic tu cum placeas, & uertice sydera tangas,
Scripta tamen profugi uatis habenda putas:

Scilicet ingenijs aliqua est concordia iunctis,
Et seruat studij fœdera quisq; sui.
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.
Tu quoq; Pieridum studio studiose teneris,
Ingenioq́; faues ingeniose meo.
Distat opus nostrum, sed fontibus exit ab ijsdem,
Artis & ingenuæ cultor uterq; sumus.
Thyrsus enim uobis, gestata est laurea nobis,
Sed tamen ambobus debet inesse calor.
Vtq́; meis numeris tua dat facundia neruos,
Sic uenit à nobis in tua uerba nitor.
Iure igitur studio confinia carmina nostro,
Et cum militijs sacra tuenda putas.
Pro quibus ut maneas de quo censeris amicus,
Comprecor ad uitæ tempora summa tuæ.
Succedatq́; suis orbis moderator habenis,
Quod mecum populi uota precantur idem.

AD ELEGIAM SEXTAM ad Græcinum.

Græcinus Ouidio scripserat paulo durius, & increpauerat eius peccatum, propter quod erat relegatus in exiliū, adeo, ut dixisset etiam pœnam eum pati minorē culpa. Illi scripto nunc respondet primum

Poëta per concessionem, uerum quidem esse, quod dicat, sed non in tempore hoc ab eo fieri. Moneri se debuisse, priusq; incidisset in hoc malum, nunc nihil id sibi prodesse, cum præteritum nō posit mutari, aut corrigi. Sed ista suo quodam modo ipse dixit poetice & allegorice, petitis Metaphoris à nauigantibus, id quod sæpissime solet facere. Et est sanè dulcissimum genus metaphoræ, & mollissimum, & quo in prosa quoq; multum utuntur. Postea rogat eum, ut sibi potius opem ferat, conflictanti cum tantis miserijs. Idq; eum tum facere tum debere facere. Turpe enim esse deserere ueterem amicum, non ei succurrere, & amicitiam ex fortuna metiri, ut eatenus ames, quatenus illa sit prospera & arrideat. Et est hoc argumentum ab honesto, seu falsa causa amicitię sumptum. Amicitia enim uera uirtute constat, non utilitate, aut alijs externis bonis. Itaq; durante uirtute, amicitia etiā à gloria, quā recte Aristoteles dicit esse pręmiū uirtutis, & præstantissimum omniū bonorum externorū aspersis etiam exemplis uerorū amicorum, illos non esse fortunā secutos in amicitijs. Ideoq; peperisse eos sibi perpetuam gloriam, & nominis memoriam sempiternam

nam, quę ex natura sic accommodat ad suum propositũ, quod dici ipsum etiam dignũ esse tali gloria, & fama inter homines. In quo loco nonnihil lenit asperitatem, qua in superioribus erat usus. Ad ultimũ pollicetur ei suam operã in laudando eius nomine, & commendando posteris, atq; omnino eum fore immortalem, nisi poemata sua nõ sint habitura immortalitatem. Repetit ibi quoq; petitionem cum quadam correctione, seu excusatione, quod quamq; hoc faciat, tamen se subinde cum sui officij admoniturum esse & sua sponte ad uirtutem incitaturum. Cuius dicti elegantem alibi causam dixit: Qui monet, ut facias, quod iam facis, ille monendo Laudat, & hortatu comprobat acta suo. Initium Epistolæ, ut hoc etiã non omittam, habet salutationem cum quadam occupatione, seu expositione, qualia plerunq; initia huius Poetæ sunt in hoc genere argumenti.

AD GRAECINVM.

CArmine Græcinũ, quẽ præsens uoce solebat,
Tristis ab Euxinis Naso salutat aquis.
Exulis hæc uox est, præbet mihi littera linguam,
Et si non liceat scribere, mutus ero.

Corripis,

Corripis, ut debes, stulti peccata sodalis,
Et mala me meritis ferre minora doles.
Vera facis, sed sera meæ conuitia culpæ
Aspera confesso uerba remitte reo.
Cum poteram recto transire Ceraunia uelo,
Vt fera uitarem saxa, monendus eram.
Nunc mihi naufragio quid prodest dicere facto
Qua mea debuerit currere cymba uia?
Brachia de lasso potius prendenda natanti,
Nec pigeat mento supposuisse manum.
Idq; facis, faciasq; precor, sic mater & uxor,
Sic tibi sint fratres, totaq; salua domus.
Quodq; soles animo semper quod uoce precari,
Omnia Cæsaribus sic tua facta probes.
Turpe erit in miseris ueteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tulisse tuum.
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci,
Turpe laborantem deseruisse ratem.
Turpe sequi casum, & fortunæ cedere amicum,
Et, nisi sit fœlix, esse negare suum.
Non ita uixerunt Strophio atq; Agamēnone nati,
Non hæc Aegidæ, Pirithoiq; fides.
Quos prior est mirata, sequens mirabitur ætas,
In quorum plausus tota theatra sonant.
Tu quoq; per durum seruato tempus amico,
Dignus es in tantis nomen habe uiris.

Dignus

Dignus es, & quoniam laudem pietate mereris,
Non erit officij gratia surda tui.
Crede mihi, nostrum si non mortale futurum est
Carmen, in ore frequens posteritatis eris.
Fac modo permaneas lapso Græcine fidelis,
Duret & in longas impetus iste moras.
Quæ tu cum præstes, remo tamen utar & aura,
Nil nocet admisso subdere calcar equo.

AD ELEGIAM SEPTIMAM *ad Atticum.*

AD Pomponium Atticum hic iterum scribit Ouidius, & queritur ei de suis calamitatibus pen'e per totam Elegiam. Est autem hæc breuiter dispositio scripti: In exordio Atticum salutat, sicut solet in his scriptis plerunque fieri, & significat ei se libenter uelle reddi certiorem de rebus ipsius, & an sit adhuc ipsius memor, nec ne. Excusat etiam tanquam corrigens præcedens dictũ diffidentiam suam de Attici erga se animo, ornatum aliquot exemplis, & illorum accommodatione ad sua mala, qui locus est finis exordij, & initium querelæ, quę ad finẽ usque durat hoc ordine: In accõmodatione exemplorum, cuius nunc memini, scribit se nihil

nihil nisi triste cogitare, aut sperare posse, & argutum est admodum, quod ibi obiter adijcit per quandam ἐναντίωσιν, fortunam, quæ alioqui sit inconstans, in premendo, & affligendo ipsum constantem esse. Hunc locum exaggerat ἀδυνάτοις cum obtestatione quadam. Tertio addit etiam querelam ad superiorem excusationem, quam fecimus partem exordij, quod eo magis decuit fieri, quo minus Ouidius dubitare, aut uideri dubitare debuit, de tanti uiri constantia, & fide, quæ in eo fuerunt admirabilia. Quarto sequitur longissimus, & copiosissimus, ac planè Ouidianus locus, in quo colligit uarias circumstantias, ut effectum studiorum liberalium, gratiam, præsentiam, personam, tempora, conditionem temporum, loca, cœli temperiē, et alias, quas omnes ad augendas suas miserias accommodat per contrarium, sibi omnia ista deesse, quæ miseris aliquod solatium, aut leuationem doloris, aut malorum soleant afferre. Sub finem, suam quoq; constantiam aliquātulum iactat, & dicit in tantis malis se tamen præstare fortem animum, & isto efficere, ut corpus etiam non deficiat, & hoc Philosophice plane est dictum. Alterum enim

alteri

alteri auxilium fert, & robur mentis, ut sic dicam, conseruat robur corporis, & contra, idq; dicit eo magis fieri, quod speret Cæsaris iram sibi leniri posse, quod ab Attico, & aliis suis amicis aliquot curetur adhuc fideliter. Postremi duo uersiculi sunt tanq; Epilogus, in quibus petit ab Attico, ut pergat ipsum defendere. Epistola pertinet ad genus deliberatiuum siue sit querela principaliter, siue sit petitio.

Iam mihi facta liquent cœptos &c. In aliis codicibus est scriptum fata liquent. Ego puto scribendum esse fata liquet, et hãc esse cõstructionem, & sententiã: Iam liquet id est, manifestum est mihi, deos obseruare fata seruantia cœptos cursus, & hic: Per sibi consuetas semper &c. subintelligi (&) ut sit ἀσύνδετον, & eadẽ sententia, id est, quę non possunt mutari, accipiendo uocem fata generaliter, pro iis, quæ necessario fiunt non tantũ pro malis Ouidii. Ne quid mihi cedat amice. id est, nequid fœliciter mihi eueniat, aut ne leniantur meę miseriæ, ita, ut amice sit aduerbium. In summa hoc uult dicere Poeta: Ego iam certo scio, quod dii ex fatis, caueant, ne qua in re sim fœlix. Atq; ita obseruare significat seruare aut

defende

defendere, uel retinere, quemadmodum hoc uerbo usus est Martialis in eadem materia: Obseruant, quem statuere, diem. Possunt etiam sic exponi hi quatuor uersus, ut obseruare non pendeat à uerbo liquet, sed à uerbo puto. Iam liquet mihi fata seruantia, itura scilicet esse per uias sibi consuetas. Id est, iam constat mihi, quod non posint mutari fata, et puto deos obseruare, ne quid mihi cedat amice, ut hic sit ἀσύνδετον. Et hanc constructionem existimo esse planiorem, & rectiorem. Sententia est eadem, utro modo constructio fiat.

AD ATTICVM.

Esse salutatum te uult mea littera primum
A male pacatis Attice missa Getis.
Proxima subsequitur quid agas audire uoluntas,
Et modo si quid agas, sit tibi cura mei.
Nec dubito, quin sit, sed me timor ipse malorum
Sæpe superuacuos cogit habere metus.
Da ueniam quæso, nimioq; ignosce timori,
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat.
Sæpe canem uisum longe fugit agna lupumq;
Credit, & ipsa suam nescia uitat opem.

Membr

Membra reformidant mollem quoq; saucia tactum,
Vanaq; sollicitis incitat umbra metum.
Sic ego fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.
Iam mihi facta liquet cœptos seruantia cursus
Per sibi consuetas semper itura uias.
Obseruare deos, ne quid mihi cedat amice
Verbaq; fortunæ uix puto posse dari.
Est illi curæ me perdere, quæq; solebat
Esse leuis, constans & bene certa nocet.
Crede mihi, si sum ueri tibi cognitus oris,
Nec numerus nostris casibus esse potest.
Cinyphiæ segetis citius numerabis aristas,
Altaq; quàm multis floreat Hybla thymis,
Et quot aues motis nitantur in aëra pennis,
Quotq; natent pisces æquore, certus eris,
Quàm tibi nostrorum statuatur summa laborum,
Quos ego sum terra, quos ego passus aqua.
Nulla Getis toto gens est truculentior orbe,
Sed tamen hi nostris ingemuere malis.
Quæ tibi si memori coner perscribere uersu,
Ilias est fati longa futura mei.
Non igitur uereor, quo te rear esse uerendum,
Cuius amor nobis pignora mille dedit.
Sed quia res timida est omnis miser, et quia lõgo est
Tempore leticiæ ianua clausa meæ,

Iam dolor in morem uenit meus, utq; caducis
Percussu crebro saxa cauantur aquis,
Sic ego continuo fortunæ uulneror ictu,
Vixq; habet in nobis iam noua plaga locum.
Nec magis assiduo uomer tenuatur ab usu,
Nec magis est curuis Appia trita rotis,
Pectora quàm mea sunt serie calcata malorum.
Et nihil inueni, quod mihi ferret opem.
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis,
Infœlix perij dotibus ipse meis.
Vita prior uitio caret, & sine labe peracta est,
Auxilij misero nil tulit illa mihi.
Culpa grauis precibus donatur sæpe suorum,
Omnis pro nobis gratia muta fuit.
Adiuuat in duris aliquos præsentia rebus,
Obruit hoc absens uasta procella caput.
Quem non obrueret taciti quoq; Cæsaris ira?
Addita sunt pœnis aspera uerba meis.
Fit fuga temporibus leuior proiectus in æquor
Arcturum subij, Pleiadumq; minas.
Sæpe solent hyemem placidam sentire carinæ,
Non Ithacæ puppi seuior unda fuit.
Recta fides comitum poterat mala nostra leuare,
Ditata est spolijs perfida turba meis.
Mitius exilium faciunt loca, tristior ista
Terra sub ambobus non iacet ulla polis.

Est ali=

Est aliquid patrijs uicinum finibus esse,
Vltima me tellus, ultimus orbis habet.
Præstat & exulibus pacem tua laurea Cæsar,
Pontica finitimo terra sub hoste iacet.
Tempus in agrorum cultu consumere dulce est,
Non patitur uerti barbarus hostis humum.
Temperie cœli corpusq́;, animusq́; iuuatur,
Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.
Est in aqua dulci non inuidiosa uoluptas,
Aequoreo bibitur cum sale mista palus.
Omnia deficiunt, animus tamen omnia uincit,
Ille etiam uires corpus habere facit.
Sustineas ut onus nitendum est uertice recto,
At flecti neruos si patiare cades.
Spes quoq; posse mora mitescere principis iram,
Viuere ne nolim, deficiamq́;, facit.
Nec uos parua datis pauci solatia nobis,
Quorum spectata est per mala nostra fides.
Cœpta tene quæso, nec in æquore desere nauem,
Meq́; simul serua, iudiciumq́; tuum.

AD ELEGIAM OCTAVAM ad Cottam

IN duob. pręcipue locis hęc Elegia uersat. Prior est gratiarũ actio, posterior petitio uenię et cõmodioris exilij. Nec salutatio hic est

nec alia pars exordij, sed orditur Poeta à narratiuncula, quæ est in epistolis frequēs, & usitata: ostendit Cottæ, quod acceperit eius munus. Miserat autem Ouidio Cotta argentea numismata, in quibus percussæ erant imagines Augusti, Tyberij, & Liuiæ. Postea incipit hoc munus prædicare multis uerbis, & exponit quantum commodi secum illud sibi attulerit, conspectu illorū principum, quos deos uocat, præsentiam patriæ, & in summa non paruum mali sui solatium. Tertio per egregium πάθος annectit huic loco secundam partem, in qua petit ab Augusto cum obtestatione ueniam culpæ, & minus durum locum exilij. Petit idem à Tyberio, petit etiā à Liuia seorsim additis uotis poeticis ad posteriores petitiones, & generali siue petitione, siue precatione ad omnes imagines. Argumentatur etiam ab exemplo gladiatorum, quod sicut gladiatores liberentur in arena dimicantes adueniente Cęsare, ita se quoq; debere & Cęsarum aduentu commodi aliquid percipere. Ad finem addit alia quatuor huius partis ornamenta, exclamationem, similitudinem, repetitionem generalis petitionis & significationem spei, & pollicitationem mitioris ex

oris exilij. In exclamatione pronũciat illos fœlices, qui possunt corã aspicere uiua Cęsarũ corpora non tantum imagines eorũ. In similitudine dicit se, cũ alterũ fatis denegatũ sit, ita aspicere, & colere imagines Cæsarũ sicut homines colant, & aspiciãt Iouis effigiẽ pro ipso Ioue. Repetitioni generalis petitionis aspergit argumenta suasoria, significãs quãti faciat illas effigies. Postremũ huius partis ornamentũ, suauissime superioribus est additũ. Dicit enim sibi imagines magis, magisq; lætas uideri, unde magnã spem cõcipiat tolerabilius suum exilium fore. Idq; ut fiat breui, optat. Porro tota hæc Elegia magno artificio, & tum dulci admodum, tum ad mouendum accõmodata maxime ratione scripta est. Quis enim non illi ignoscat, qui non tantum fatetur errorẽ, sed tanti nos facit, ut imagines nostras etiam adoret. Verum principum animi sæpe sunt implacabiles, præsertim erga eos, quibus imprimis debebant esse lenes, sicut econtra profusissime sunt clementes, ut plurimum, in gnatones suos non tantum stultos homines, sed auaros etiam, aliquando infinitis sceleribus obstrictos, nec ad ullam rem aliã comparatos, q̃ ad assentandum, rapiendũ,

 & super-

& superbiendum. Et est illa una ex præcipuis uirtutibus etiam apud homines multo inferiores principibus, nostro præsertim seculo τὸ παντὰ πρὸς ἡδονὴν, ἐπαινεῖν καὶ ὀυθὲν ἀντιτίνειν, ut inquit ille.

AD COTTAM.

Redditus est nobis Cæsar cum Cæsare nuper,
Quos mihi misisti Maxime Cotta duos.
Vtq; tuum munus numerum, quem debet, haberet,
Est tibi Cæsaribus Liuia iuncta suis.
Argentum fœlix, omniq; beatius auro,
Quod fuerit precium cum rude numen habet.
Non mihi diuitias dando maiora dedisses,
Cœlitibus missis nostra sub ora tribus.
Est aliquid spectare deos, & adesse putare,
Et quasi cum uero numine posse loqui.
Quantum ad me redij, nec me tenet ultima tellus.
Vtq; prius media sospes in urbe moror.
Cæsareos uideo uultus, uelut ante uidebam,
Vix huius uoti spes fuit ulla mihi.
Vtq; salutabam, numen cœleste saluto,
Quod reduci tribuas nil puto maius habes.
Quid nostris oculis nisi sola palatia desunt?
Qui locus ablato Cæsare uilis erit.
Nunc ego cũ spectem, uideor mihi cernere Romã,
Nam faciem patriæ sustinet ille suæ.

Fallor?

Fallor? an irati mihi sunt in imagine uultus,
Toruaq; nescio quid forma minantis habet?
Parce uir immenso maior uirtutibus orbe,
Iustaq; uindictæ supprime frena tuæ.
Parce puer secli decus admirabile nostri,
Terrarum dominum quem tua cura facit.
Per patriæ numen, quod te tibi carius ipso est,
Per nunquam surdos in tua uota deos,
Perq; thori sociam, quæ par tibi sola reperta est,
Et cui maiestas non onerosa tua est.
Perq; tibi similem uirtutis imagine natum,
Moribus agnosci qui tuus esse potest.
Perq; tuos uel auo dignos uel patre nepotes,
Qui ueniunt magno per tua iussa gradu.
Parte leua minima, nostras & contrahe pœnas,
Daq; locum Scythico qui sit ab hoste procul.
Et tua (si fas est) à Cæsare proxima Cæsar
Numina sint precibus non inimica meis.
Sic fera quamprimum pauido Germania uultu
Ante triumphantes serua feratur equos.
Sic pater in Pylios Cumæos mater in annos
Viuant, & poßis filius esse diu.
Tu quoq; conueniens ingenti nupta marito,
Accipe non dura supplicis aure preces.
Sic tibi uir sospes, sic sint cum prole nepotes,
Cumq; bonis nuribus quas peperere nurus.

Sic, quem dira tibi rapuit Germania, Drusus
Pars fuerit partus sola caduca tui.
Sic tibi mature fraterni funeris ultor
Purpureus niueis filius instet equis.
Annuite ô timidis mitißima numina uotis,
Præsentes aliquid prosit habere deos.
Cæsaris aduentu tutus gladiator arena
Exit, & auxilium non leue uulnus habet.
Nos quoq; uestra iuuet ꝙ qua licet ora uidemus,
Facta quod est superis iam domus una tribus.
Fœlices illi, qui non simulachra, sed ipsos,
Quiq́; Deûm coram corpora uera uident.
Quod quoniam nobis inuidit inutile fatum,
Quos dedit ars uultus, effigiemq́; colo.
Sic homines nouêre deos, quos arduus æther
Occulit, & colitur pro Ioue forma Iouis.
Deniq; quæ mecum est, & erit sine fine, cauete,
Ne sit in inuiso uestra figura loco.
Nam caput è nostra citius ceruice recedet,
Et patiar fossis lumen abire genis,
Quàm caream uobis ô publica numina raptis,
Vos eritis nostræ portus & aura fugæ.
Vos ego complectar, Geticis sic cingar ab armis,
Vtq; meas aquilas, uestra ego signa sequar.
Aut ego me fallo, nimiaq; cupidine ludor,
At spes exilij commodioris adest.

Nam

Nam minus & minus est facies in imagine tristis,
Visaq; sunt dictis annuere ora meis.
Vera precor fiant timidæ præsagia mentis,
Iustaq; quamuis est, sit minor ira Dei.

AD ELEGIAM NONAM
ad Cotim.

REx Thraciæ fuit hic Cotius, ad quem scribit in hoc loco Ouidius, & fit eius mentio in commentarijs Cæsaris de bello ciuili, quanq; ibi Cotus uocatur, & fortasse huius pater fuit quem suspicantur quidam Cotisonem illum esse Getarũ regem, de quo Suetonius quædam scribit in uita Augusti. Rogat autem eum Poeta, ut sibi exulanti in uicinia ferat opem, ac defendat se cõtra barbariem illius regionis. Atq; hęc est summa totius epistolæ, nec habet alios locos præter exordium in duobus primis uersiculis, in quibus captat beneuolentiam à stirpe regis. Deinde statim subiungit petitionem cum aliquot grauibns argumentis, quorum hic est ordo: Primum est ab officio regis ductum per expolitionem, id est, crebram eiusdem sententiæ uariationem, alijs, & alijs figuris. In primis hoc illam dignitatem, & præstantiam regiam decere, ut

alios iuuet, alijs prosit, & consulat, idq́ eũ
commune habere cum dijs immortali-
bus. Secundum argumentum est com-
mune iudicium hominum de dijs, & regi-
bus, seu definitio quędam dei uel regis. Ideo
enim homines dijs sacrificãt, & colunt eos,
ideo reges, & principes uenerantur, & ob-
seruant, quod habent eos pro suis seruato-
ribus, & adiutoribus. Estq́, ut alicubi Cice
ro uere definit, Deus illa mens, quã sibi ho
mines arbitrantur prodesse, conseruare, &
gubernare se. Quanq̃ hoc debet addi ad per
fectam definitionem, unde omnia habent
principium, & causam, ut sint, quodq́ non
tantum homines ortum habeant ab eo, sed
omnes aliæ res, id est, quod totus mundus
cum omnibus quæ sunt in mundo, & sit ex
ista mente, & ab ea regatur, & conseruetur.
Principes autem, & Reges proprie sunt isti
homines, qui præsunt inter alios, ut eis pro
sint, non ut noceant, ut alios defendant, non
ut prodant, ut alios regant, non ut in terro-
rem, pericula, perniciẽ ducant, aut eos pati-
antur duci. Et in summa, Reges, & Princi-
pes sunt illę personę, quę cũ ex repub. tum
ex Deo habẽt ius in eo populo, cui pręsunt,
administrãdi, & cõstituendi omnia quę ad
commu-

cõmunẽ ſalutẽ, & utilitatem ſpectant & per
tinent, ad libidines ſuas explendas & Tyran
nidẽ nihil habent iuris. Ex his facile poteſt
intelligi, quod Ouidius hic dicit de officio
Deorũ et Regum, aut aliorum, quibus Rei-
pub. gubernacula ſunt tradita, & cõmiſſa.
Et eſt totũ argumentũ, ueluti quędam pro-
batio ſuperioris argumẽti, quod in integra
Dialectica forma eſſet prima, ſeu maior pro
poſitio, ut: Regia res eſt ſuccurrere lapſis, Tu
es Rex, Ergo debes mihi opẽ ferre. Quod au
tẽ Regis officiũ hoc ſit, oſtendit illud ſecun-
dum argumentũ. Ita clare & dilucide poteſt
uideri tota res, in qua exponenda ſui paulo
prolixior, ut uiderẽt adoleſcentuli, quomo
do bonorum authorum ſcripta, ſententi-
as legere, & examinare debeant. Habet
hoc argumentum in fine concluſionem, &
repetitionem petitionis, quibus accedunt
exempla à contrario. Item alia tria argu-
menta, quorum primum eſt à natura Co-
tij, Alterum à ſtudio literarum, Terti-
um à ſimilitudine ſtudiorum ductum.
Addita eſt etiam occupatio de cauſſa exilij
cum cõcluſione, in qua repetita eſt petitio,
quę eſt principalis propoſitio in tota epiſto
la. Atq; hoc debet fieri in concluſionibus.

Porro

Porro in uulgaribus libris titulus est: (Ad Cotim) in quibusdā alijs (ad Cotiū) in diuersis declinationibus, propterea, quod Coti uocatiuus in hoc loco usurpatus à Poeta cōueniat utriq; declinatiōi secūdę, et tertię.

AD COTIM.

Regia progenies cui nobilitatis origo,
Nomen in Eumolphi peruenit usq; Coti.
Fama loquax uestras si iam peruenit ad aures,
Me tibi finitimi parte iacere soli,
Supplicis exaudi iuuenum mitißime uocem,
Quamq; potes profugo (nā potes) affer opem.
Me fortuna tibi de qua, quod non queror hoc est,
Tradidit hoc uno non inimica mihi.
Accipe naufragium non duro littore nostrum,
Ne fuerit terra tutior unda tua.
Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis,
Conuenit & tanto, quantus es ipse, uiro.
Fortunam decet hoc istam, quæ maxima cum sit,
Esse potest animo uix tamen æqua tuo.
Conspicitur nunquam meliore potentia causa,
Quàm quoties uanas non sinit esse preces.
Hoc nitor iste tui generis desyderat, hoc est
A superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tecum commune deis, quod utrinq; rogati
Supplicibus uestris ferre soletis opem.

Hoc tio

Hoc tibi & Eumolphus generis clarißimus autor,
Et prior Eumolpho suadet Erichthonius.
Nam quid erit quare solito dignemur honore
Numina, si demas uelle iuuare deos?
Iuppiter oranti surdas si præbeat aures,
Victima pro templo cur cadet icta Iouis?
Si pacem nullam pontus mihi præstet eunti,
Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis si fiant uota coloni,
Accipiet grauidæ cur suis exta Ceres?
Nec dabit intonso iugulum caper hostia Baccho,
Musta sub inducto si pede nulla fluant.
Cæsar ut imperij moderetur frena precamur,
Tam bene, quàm patriæ consulit ipse suæ.
Vtilitas igitur magnos hominesq;, deosq;
Efficit auxilijs quoq; fauente suis.
Tu quoq; fac prosis intra tua castra iacenti
O Coti progenies digna parente tuo.
Conueniens hominũ est, hominem seruare uoluptas,
Et melius nulla quæritur arte fauor.
Quis nõ Antiphatẽ Læstrygona deuouet? aut quis
Munifici mores improbat Alcinoi?
Non tibi Cassandrus pater est durus ue Caphareus
Quiue repertorem torruit arte sua.
Sed quam Marte ferox & uinci nescius armis,
Tam nunquam facta pace cruoris amans.

Adde

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.
Nec regum quisquam magis est instructus in illis,
Mitibus aut studijs tempora plura dedit.
Carmina testantur, quæ, si tua nomina demas,
Threicium iuuenem composuisse negem.
Neue sub hoc tractu uates foret unicus Orpheus,
Bistonis ingenio est terra superba tuo.
Vtq; tibi est animus, cum res ita postulat, arma
Sumere, & hostili tingere cæde manum,
Atq; ut es excusso iaculum torquere lacerto,
Collaq; uelocis flectere doctus equi,
Tempora sic studijs data sunt ubi iusta paternis,
Atq; tuis humeris forte quieuit opus,
Ne tua marcescant per inertes ocia somnos,
Lucida Pieria tendis in astra uia.
Hæc quoq; res aliquid tecum mihi fœderis affert,
Eiusdem sacri cultor uterq; sumus.
Ad Vatem Vates orantia brachia tendo,
Terra sit exilijs ut tua fida meis.
Non ego cæde nocens in ponti littora ueni,
Mistaue sunt nostra dira uenena manu,
Nec mea conuicta est subiecta gemma tabella
Mendacem ceris imposuisse notam,
Nec quidquam, quod lege ueter committere, feci,
Est tamen his grauior noxa fatenda mihi.

Neue roges quæ sit, stultam quam scripsimus artē,
Innocuas nobis hæc uetat esse manus.
Et quid præterea peccarim, quærere noli,
Vt pateat sola culpa sub arte mea.
Quidquid id est habuit moderatā principis iram,
Qui nisi natalem nil nisi dempsit humum.
Hac quoniam careo, tua nunc uicinia præstet,
Inuiso possim tutus ut esse loco.

AD ELEGIAM DECIMAM *ad Macrum.*

MAcrum Poetam Ouidius in hac Elegia familiariter admonet sui officij, atq; tum rogat, tum postulat ab eo, ne ipsius memoriam abijciat. Estq; hæc summa Epistolæ, in cuius principio salutatione quadam usus est etiam figurata, nec perfecta. Interrogat enim eum tantum agnoscatne, an nō, uel ex sigillo, uel ex manu, aut litera, mitti sibi ab Ouidio hanc epistolam, nec tamen dicit ei salutem, sic fit alioqui in epistolis extra carmē sępe. Vocauimus autē supra talia exordia imperfectas salutationes, quę ab alijs epigraphę nominātur. Huic loco statim adiecit admonitionem petitoriā, quam dilatauit argumētis à ueteri cōsuetudine, ab affinitate & similitudine studiorū. Horum

Horum ultimo aspersit occupationem, seu πάθος per collationem, se scripsisse uersus in leui, & subturpi materia, sibiq; ita nocuisse ipsum in laudabili, & heroica, & utili. Addidisse enim ea, quæ Homerus de bello Troiano omiserit, unde appellat eũ post in quarto libro Iliacum Macrum, cuius meminit etiam Quintilianus, & humilem dicit esse. Poemata eius nunc nulla habemus. Primum argumentũ exposuit longa commemoratione ueterum officiorum in se Macri, uidisse opera, seu ductu ipsius Asiam, & Siciliam, & ibi utitur distributione, recitans aliquot eius insulæ loca, & quidem ita se peragrasse cũ eo regiones illas, ut nũq̃ molestum fuerit iter, nunq̃ uisum sit longũ tempus propter ipsius præsentiam, sicut dicitur: Comes facundus in uia pro uehiculo est. Claudit hanc amplificationem epiphonemate, non esse rem paruam, quod simul uersati sint in periculis marinis, & alia egerint unà seria, & iocosa, quodq; inuicem fuerint, ipse illi, & ille ipsi, cui res audacter magnas, paruasq;, iocumq; eloqueret, ut ait Ennius. Præterea si recordetur istius familiaritatis, ne posse quidem eum ipsius obliuisci. Atq; hæc est uera conclusio huius loci, & con-

& constituit, si quis consideret in epiphonemate integrum syllogismum. In fine dicit etiam de suo erga eum studio, quòd non exciderit sibi eius memoria, quantumuis procul absit ab eo, qua in re debere eum cum ipso paria facere.

AD MACRVM.

ECquid ab impressæ cognoscis imagine ceræ
Hæc tibi Nasonē scribere uerba Macer?
Autorisq; sui si non est annulus index,
Cognita ne est nostra littera facta manu?
An tibi noticiam mora temporis eripit horum?
Nec repetunt oculi signa uetusta tui?
Sis licet oblitus gemmæ pariterq;, manusq;,
Exciderit tantum ne tibi cura mei.
Quam tu uel longi debes conuictibus æui,
Vel mea quod coniux non aliena tibi est.
Vel studijs quibus es, quàm nos sapientius usus,
Vtq; decet nulla factus es arte nocens.
Tu canis æterno quidquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu.
Naso parum prudens artem dum tractat amandi,
Doctrinæ precium triste magister habet.
Sunt tamen inter se communia sacra poetis,
Diuersum quamuis quisq; sequamur iter.

Quorum te memorē (quamquam procul absumus) esse
Suspicor, & casus uelle leuare meos.
Te duce magnificas Asiæ perspeximus urbes,
Trinacris est oculis te duce uisa meis.
Vidimus Aetnæa cœlum splendescere flamma,
Suppositus monti quam uomit ore Gigas.
Aetnæosq́; lacus, & olentia stagna Palisci,
Quamq́; suis Cyanem miscet Anapus aquis.
Nec procul hinc nymphe, quæ dū fugit Elidis amnē
Tecta sub æquorea nunc quoq; currit aqua.
Hic mihi labentis pars anni magna peracta est,
E heu quam dispar est locus ille Getis.
Et quota pars hæc sunt rerum quas uidimus ambo
Te mihi iucundas efficiente uias.
Seu rate cœruleas picta sulcauimus undas,
Esseda nos agili siue tulere rota,
Sæpe breuis nobis uicibus uia uisa loquendi est,
Pluraq́;, si numeres, uerba fuere gradu.
Sæpe dies sermone minor fuit, inq́; loquendo
Tarda per æstiuos defuit hora dies.
Est aliquid casus pariter timuisse marinos,
Iunctaq́; ad æquoreos uota tulisse deos.
Et modo res egisse simul, modo rursus ab illis,
Quorum non pudeat posse referre iocos.
Hæc tibi si subeant, hic sim licet omnibus annis,
Ante tuos oculos ut modo uisus ero.

Ipse

Ipse quidem certe cum sim sub cardine mundi,
Qui semper liquidis altior extat aquis,
Te tamen intueor, quo solo pectore possum,
Et tecum gelido sæpe sub axe loquor.
Hic es, & ignoras, sed ades celeberrimus absens,
Inq; Getas media missus ab urbe uenis.
Redde uicem, & quoniam regio fœlicior ista est,
Istic me memori pectore semper habe.

AD ELEGIAM VNDECIMAM ad Rufum.

RVfus erat consolatus Ouidium in suo discessu, curabat etiam, & hortabatur absentis nunc uxorē ad probitatē. Item diligenter eius mādata exequebat̃. Pro istis officijs, & beneficijs ille agit hic ei gratias, et habiturū se esse perpetuo pollicetur. Hęc est epistolij summa. Recitemus iā partes eius, & ordinē illarū cum figuris. Primis quatuor uersibus indicat causam, cur mittat ei uel hanc tantū gratiarū actionem uel unà cum gratiarū actione partem absoluti operis. Id enim eum significare per opus, non tantum epistolā hanc existimo. Sequentibus quatuor uersibus agit gratias per intensionem quandam, seu comparationem etiam. Potest etiam uocari figura hæc ἀδιάωα

τοῦ: His addit expoſitionem beneficiorum, & in ea parte commoratur ad quatuor poſtremos uſq; uerſus, in quibus ei optat contingere parem gratiam à dijs immortalibus, quoniam ipſe non poſsit neq; ſatis agere, neq; referre gratias pro tantis factis. Secundum beneficium de cura eius, & ſtudio in uxorem eſt figuratum laudatione uxoris per occupationem, per ſe quidem probam eſſe illam, idq; propterea, quod Ruſus ſit eius auunculus, tamen hortatu, & monitu eius excitatiorem, & alacriorem fieri ad honeſtatem, ſicut equus generoſus per ſe contendens ad uictoriam, excitetur tamen magis uoce rectoris. Idem in triſtibus dixit paulo generalius his uerſiculis: Qui monet, ut facias quod iam facis, ille monendo Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

AD RVFVM.

Hoc tibi Ruſe breui properatū tēpore mittit
Naſo parum fauſtæ conditor artis opus.
Vt quanquam longe toto ſumus orbe remoti,
Scire tamen poßis nos meminiſſe tui.
Nominis ante mei uenient obliuia nobis,
Pectore quàm pietas ſit tua pulſa meo.

Et pri-

Et prius hanc animam uacuas reddemus in auras,
Quàm fiat meriti gratia uana tui.
Grande uoco meritum lachrymas, quibus ora rigabas
Cum mea concreto sicca dolore forent.
Grande uoco meritum, mœstæ solatia mentis,
Cum pariter nobis illa tibiq; dares.
Sponte quidem per seq; meis est laudibus uxor,
Admonitu melior fit tamen illa tuo.
Nanq; quod Hermione Castor fuit, Hector Iulo,
Hoc ego te lætor coniugis esse meæ.
Quæ ne dißimilis tibi sit probitate, laborat,
Seq; tui uita sanguinis esse probat.
Ergo quod fuerat stimulis factura sine ullis,
Plenius autorem te quoq; nacta facit.
Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.
Adde quod absentis cura mandata fideli
Perficis & nullum ferre grauaris onus.
Ore ferant grates, quoniam non possumus ipsi,
Di tibi, qui referent, si pia facta uident.
Sufficiatq; diu corpus quoq; moribus istis
Maxima fundani gloria Ruse soli.

ARGVMENTA ELEGIARVM LIBRI TERtij Ouidij de Ponto.

AD ELEGIAM PRIMAM ad Vxorem.

AD Vxorem scripsit hanc epistolã Ouidius, in qua sanè grauis est, et sic satis uehemẽs. Nõ enim admonet eã tantũ sui officij generatim, et rogat, ut peratipsi tutiorẽ exilij locum, sed obiurgat etiam propter nescio quam indiligentiam, quanq̀ in eo loco breuis est, ac eũ postea mitigat iterũ, ut decebat fieri, subinde inculcãs ac iterãs propositionẽ admonitionis, quod debeat ipsũ maritũ suum absentem, & exulẽ curare et subleuare quibuscunq̀ modis possit: Atq̀ hęc pręcipue in hac Elegia tractant. Cæterũ alię quędã accesserũt ad rem tũ augendã, tũ illuminandã, ut est exordiũ, et in fine modus, seu forma rogandi à Liuia Cęsaris coniuge quod uolebat. In exordio, quod ex abrupto, sine salutatione est inceptũ, et uehemẽs, et lõga querela de Ponticę

regionis

regionis incōmodis, quæ facere significat in fine eius partis, ut excusatus posſit eſſe de tam crebra unius rei petitione. In multis enim epiſtolis antea quoq; petiuerat à ſuis amicis idem officium. Ita exordium non eſt quiddam ocioſum, ſed unum de præcipuis argumentis, & uere principalis cauſa, cur peti debeat ipſi ab Auguſto regionis mutatio. Et talia ſunt plerumq; exordia in doctorum hominum ſcriptis. Neq; enim tantum ad aſſentationem cōparata eſt hæc orationis pars, ſed ad pugnam etiam, & uires tanq; quaſdam totius negocij. Ego ſanè iudico omnium illa optima eſſe exordia, quæ habent aliquid de ipſa cauſſa, ſeu controuerſia, cuiuſmodi in hac Epiſtola eſt. Querelæ concluſioni commode annexuit exhortationem, quam tamen incepit ab obiurgatione, & ibi repetita bis eſt, aut ter eadem ſententia, quæ eſt propoſitio argumentationis: argumentatur ab honeſto, & inutili per contrariū, debere eam hoc facere quòd ſit uxor, & credita ſit hactenus præſtare uirtutes cōiugales, idq; ſe de ipſa in publcis literis ſępe teſtatū eſſe, ac omnino grauē eam in ſuis ſcriptis perſonā ſuſtinere. Item fore, ut incurrat omniū hominū reprehenſionē, &

amittat superiorem opinionem de magnis uirtutibus inter homines, nisi maneat in fide. Contra uero futurum, si perseueret, nec posse occultum esse, quicquid faciat, cum ipse propter suum casum sit nobilitatus, ut olim Capaneus, Amphiaraus, & similes. Excitat etiam eam, cum dicit ulterius per occupationem obseruari eam à multis, nec posse omnes credere, quòd sit tam digna laude, quando in ipsius scriptis talia præconia legant. Postea bis continuo repetit propositionem admonitionis, accommodatam ad præcedens argumentum de obseruatoribus, seu inuidis: & argumentis utitur à spe sua erga eam, à pari, se ita ei facturum esse, si in hoc loco esset, à moribus eius, & consuetudine cum Martia honestissima fœmina, ita tamen, ut his præponat repetitionem argumenti à fœdere coniugij. Post hæc omnia petit à cõiuge, ut alijs suis beneficijs hoc unum addat, ut roget ipsi à Liuia tolerabiliorem terram exilij, quod ei persuadere conatur præcipue hoc argumento, quod dicit, non fore hoc ei factu aut difficile, aut periculosum, & ut maxime nihil efficiat, tamẽ sibi eam inde nihil mali conciliaturum esse. Atq; hoc argumentum à facili sumptum ua

rie tra-

rie tractauit: Primúm utitur excusatione de crebra admonitione ad uxorem in ea re, quam tamen alioqui & sponte sua faciat, deinde exclusione pugnantiũ, non aliquid ei periculose faciendum, sed orandum esse tantum Cæsarem. Tertio dicit, si gratia nihil ualeat, fletu aliquid eam esse ualituram, ad quod se ipsi copiose materiam suis miseriis præbere. Quarto colligit exempla mulierum, quæ pro maritis mortem oppetierunt, ac argumentatur simul ex maiore, occulte tamen: applicat etiam illa exempla ad exclusionem pugnantium, non ei subeundum uitæ aliquod discrimen, sed Liuiam solum esse rogandam, atq; ibi obiter interserit laudes Liuiæ, quæ res etiam habet persuadendi uim. Quinto accumulat alia contraria superioribus iterũ per exclusionem, non esse conueniendam aliquam crudelem, & sęuam mulierem, ut fuerunt Progne, Medusa, Circe, & similes: esse adeundam Liuiã fœminam, ut Principem, ita quoq; moderatissimam. Deinde præscribit ei modum, seu formam adeundi Liuiam, seu circumstãtias hoc faciendi eam docet, quo tempore debeat eam alloqui, quod modeste, & pro sua persona, quibus gestibus, quid debeat

petere. Mitigat etiam futura incommoda, nihil nociturum ei, si trepide loquatur, & interrupte propter lachrymas, atq; ita confirmat uxorem, & iubet eam hoc facere prius auspicijs actis, & re sacra facta, præsertim Cæsaribus & Liuiæ. Vltimo precatur, ut illa res fœliciter eueniat.

PVBLII OVIDII NASONIS de Ponto, Liber Tertius.

AD CONIVGEM.

AEquor Iasonio pulsatum remige primum,
Quæq; nec hoste fero, nec niue terra cares,
Ecquod erit tẽpus, quo uos ego Naso relinquã
In minus hostili iussus abesse loco?
An mihi barbaria uiuendum est semper in ista?
Inq; Tomitana condar oportet humo?
Pace tua, si pax ulla est tua Pontica tellus,
Finitimus rapido quam terit hostis equo.
Pace tua dixisse uelim, tu peßima duro
Pars es in exilio, tu mala nostra grauas.
Tuneq; uer sentis cinctum florente corona,
Tu neq; messorum corpora nuda uides.

Nec tibi

Nec tibi pampineas autumnus porrigit uuas,
Cuncta sed immodicum tempora frigus habent.
Tu glaciæ freta iuncta tenes, & in æquore piscis
Inclusus tecta sæpe natauit aqua.
Non tibi sunt fontes, laticis nisi penè marini,
Qui potus dubium est, sistat alat ne sitim.
Rara, nec hic fœlix in apertis eminet aruis
Arbor, & in terra est altera forma maris.
Non auis obloquitur, syluis nisi siqua remotis
Aequoreas rauco gutture potet aquas.
Tristia per uacuos horrent absinthia campos,
Conueniensq; suo meßis amara loco est.
Adde metus, & quod murus pulsatur ab hoste.
Tinctaq; mortifera tabe sagitta madet.
Quā procul hæc regio est & ab omni deuia cursu,
Nec pede quo quisquam nec rate tutus eat.
Non igitur mirum finem quærentibus horum
Altera si nobis usq; rogatur humus.
Te magis est mirum non hæc euincere coniunx,
Inq; meis lachrymas posse tenere malis.
Quid facias, quæris, quæras hoc scilicet ipsum,
Inuenies, uere si reperire uoles.
Velle parum, cupias ut re potiaris oportet,
Et faciat somnos hæc tibi cura breues.
Velle reor multos, quis enim mihi tam sit iniquus,
Optet ut exilium pace carere meum?

Pectore

Pectore te toto, cunctisq; incumbere neruis,
Et niti pro me nocte, dieq; decet.
Vtq; iuuent alij, tu debes uincere amicos
Vxor, & ad partes prima uenire tuas.
Magna tibi imposita est nostris persona libellis,
Coniugis exemplum diceris esse bonæ.
Hancne degeneres, & sint præconia nostra
Vera, uide, famæ quo tuearis opus.
Vt nihil ipse querar, tacito me fama queretur,
Quæ debet, fuerit ni tibi cura mei.
Exposuit memet populo fortuna uidendum,
Et plus noticiæ quàm fuit ante, dedit.
Notior est factus Capaneus fulminis ictu,
Notus humo mersus Amphiaraus equis.
Si minus errasset, notus minus esset Vlysses,
Magna Philoctetæ uulnere fama suo est.
Si locus est aliquis magna inter nomina paruis,
Nos quoq; conspicuos nostra ruina facit.
Nec te nesciri patitur mea pagina, quæ non
Inferius Choa Batthide nomen habet.
Quidquid ages igitur, scæna spectabere magna,
Et pia non paucis testibus uxor eris.
Crede mihi, quoties laudaris carmine nostro,
Qui legit has laudes, an mereare, rogat.
Vtq; fauere reor plures uirtutibus istis,
Sic tua non paucæ carpere facta uolent.

Quarum

Quarum tu præsta, ne liuer dicere posit,
Hæc est pro miseri lenta salute uiri.
Cumq; ego deficiam, nec possum ducere currum,
Fac tu sustineas debile sola iugum.
Ad medicum specto uenis fugientibus æger,
Vltima pars animæ dum mihi restat, ades,
Quodq; ego præstarem, si te magis ipse ualerem,
Id mihi cum ualeas fortius ipsa refer.
Exigit hoc socialis amor, fœdusq; maritum,
Moribus hoc coniunx exigis ipsa tuis.
Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam
Non magis officijs, quàm probitate colas.
Cuncta licet facias, nisi eris laudabilis uxor,
Non poterit credi Martia culta tibi.
Nec sumus indigni, nec si uis uera fateri,
Debetur meritis gratia nulla meis.
Redditur illa quidem grandi cnm fœnore nobis,
Nec te, si cupiat lædere rumor habet.
Sed tamen hoc factis adiunge prioribus unum,
Pro nostris ut sis ambitiosa malis.
Vt minus infesta iaceam tellure labora,
Clausa nec officij pars erit illa tui.
Magna peto, sed non tamen inuidiosa roganti,
Vtq; ea non teneas tuta repulsa tua est.
Nec mihi succense, toties si carmine nostro
Quod facis ut facias, teq; imitere, rogo.

Fortibus

Fortibus assueuit tubicen prodesse, suoq;
Dux bene pugnantes incitat ore uiros.
Nota tua est probitas, testataq; tempus in omne,
Sic uirtus etiam non probitate minor.
Nec tibi Amazonia est pro me sumenda securis,
Aut excussa leui pelta gerenda manu.
Numen adorandum est, non ut mihi fiat amicum,
Sed sit ut iratum, quàm fuit ante, minus.
Gratia si nulla est, lachrymæ tibi gratia fiant,
Hac potes haud nulla parte mouere deos.
Quæ tibi ne desint bene per mala nostra cauetur,
Deq; uiro flendi copia diues adest.
Vtq; meæ res sunt, omni puto tempore flebis,
Has fortuna tibi nostra ministrat opes.
Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset
Admeti coniunx, quam sequeris, erat.
Aemula Penelopes fieres, si fraude pudica
Instantes uelles fallere nupta procos.
Si comes extincti manes sequerere mariti,
Esset dux facti Laodemeia tui.
Hyphias ante oculos tibi erit ponenda uolenti
Corpus in accenso; mittere fortè rogos,
Morte nihil opus est, nihili cariotide tela,
Cæsaris at coniunx ore precanda tuo.
Quæ præstat uirtute sua, ne prisca uetustas
Laude pudicitiæ secula nostra premat.

Que

Quæ Veneris formam mores Iunonis habendo,
Sola est cœlesti digna reperta thoro.
Quid trepidas? & adire times non impia Progne
Filiaue Aeetæ uoce mouenda tua est.
Nec nurus Aegysthi nec sæua Agamemnonis uxor,
Scyllaq;, quæ Siculas inguine terret aquas.
Telegoniue parens, uertendis nata figuris,
Nexaq; nodosas angue Medusa comas.
Fœmina sed princeps, in qua fortuna uidere
Se probat, & cæcæ crimina falsa tulit.
Qua nihil in terris ad finem solis ab ortu
Clarius, excepto Cæsare, mundus habet.
Eligito tempus captatum sæpe roganti,
Exeat aduersa ne tua nauis aqua.
Non semper sacras reddunt oracula sortes,
Ipsaq; non omni tempore fana patent.
Cum status Vrbis erit, qualem nunc auguror esse,
Et nullus populi contrahet ora dolor.
Cum domus Augusti capitoli more colenda
Læta quod est, & sit plenaq; pacis erit,
Tunc tibi di faciant adeundi copia fiat,
Profectura aliquid tunc tua uerba putes.
Si quid aget maius, differ tua cœpta, caueq;
Spem festinando præcipitare meam.
Nec rursus iubeo, dum sit uacuißima quæras,
Corporis ad cultum uix uacat illa sui.

Curiæ

Curia cum patribus fuerit stypata uerendis,
Per patrum turbam tu quoq; oportet eas.
Cum tibi contigerit formam Iunonis adire,
Fac sis personæ quam tueare memor.
Nec factum defende meum, mala causa silenda est,
Nec nisi sollicitæ sint tua uerba preces.
Tunc lachrymis demenda mora est, summissaq; ter
Ad non mortales brachia tende pedes. (ræ
Tu pete nil aliud, sæuo nisi ab hoste recedam,
Hostem fortunam sit satis esse mihi.
Plura quidem subeunt, sed tu turbata timore
Hæc quoq; uix poteris ore tremente loqui.
Suspicor hæc damno fore non tibi, sentiet illa
Te maiestatem pertimuisse suam.
Nec tua si fletu scindentur uerba, nocebit,
Interdum lachrymæ pondera uocis habent.
Lux etiam cœptis facito bona talibus adsit,
Horaq; conueniens, hospitiumq; fauens.
Sed prius imposito sanctis altaribus igne,
Thura fer ad magnos, uinaq; pura deos.
E quibus ante omnes Augusti numen adora,
Progeniemq; piam, participemq; thori.
Sint utinam mites solito tibi more, tuasq;
Non duris lachrymas uultibus aspiciant.

Ad Ele

AD ELEGIAM SECVNDAM ad Cottam.

POëta in hac Epistola gratias agit Cottæ pro suis officijs, & prædicat eius fidem, & constantiam in retinendo, ac defendendo amico ueteri in suo necessario, & acerbo tempore. Nec est aliud, quod hic tractetur, aut agatur principaliter, nisi quod unà quoq; ut fit talibus argumentis, subindicat in hac re facere ipsum honeste, & conuenienter suis moribus, atq; pro eo, ac debeat. Sũt autem & alia quædam adiecta ornandi, & dilatandi scripti causa, sicut nunc indicabimus ordine. Initio salutem ei dicit cum uoto quodam, cum præfatur, ut reipsa quoq; saluus sit, quemadmodum ipse optet ei uerbis. Deinde statim subijcit gratiarum actionem, & paululum postea ab ea discedens excusat reliquos suos amicos, à quibus erat desertus. Non enim ex malitia eos aliquid in hac re fecisse, sed metu coactos, & potius cautos, ac timidos uocari posse, quàm malos, cum idem in cæteris rebus etiam non inhoneste soleat accidere, atq; ita usurpat tria exempla à pari. Primũ est sumptum à fulmine ictis: alterum à pariete ruinoso: tertiũ à laborantibus cõtagiosis morbis. Illa enim

omnia uitãtur, et fugiuntur ab hominibus, & ut plurimũ etiam sine turpitudine. Estq́; in hoc loco plurimum humanitatis, & suauitatis. Si enim moueri periculis humanũ est, humanũ etiam est, aut humanius quoq; ueniam dare ijs, qui per metũ aliquid secus quàm cõueniebat fecerunt, nec non mitigare errores hominũ præsertim amicorum, quantum honesti ratio permittit, aut certe non male interpretando grandiores reddere. Hac excusatione absoluta redit ad gratiarum actionẽ, ubi pollicetur etiam ei, donec uiuat, gratum se fore, & uicissim celebraturum ipsius, & similium suorum amicorum nomen, & famam eorũ commendaturum posteris. Quam partem amplificauit correctione, & gnome per collationem. Falli se in eo, quod dixerit. Ita autem dixerat, gloriã eorum perduraturam esse, quàm diu ipse uiuat. Mansurum enim esse illam post suam etiam uitam, modo ut carmina sua maneãt: Ac corpus quidem interire, sed gloriam immortale quiddam esse. Talis est hæc etiam sententia: At nõ ingenio quęsitũ nomen ab ęuo Excidit, ingenio stat sine fine dies. Item ista: Dignũ laude uirum Musa uetat mori. Probat hoc dictũ exemplo Thesei, & Pyladis, qui

dis, qui post mortem etiam uiuunt non corpore, sed fama, & laudibus. Deinde aptat exemplũ ad suum negociũ, idem de ipsis futurum esse, idq; probat exemplo Scytharum, quòd apud illlos iam cœperint celebres fieri propter suam probitatẽ, & fidem, atq; sic per occasionem subnectit longam fabulam, non tantũ amplificandę rei gratia, sed etiã, ut excitet illos horum exemplo ad faciendum similiter, utq; eos retineat, & confirmet in proposita uia colẽdę amicitiæ, & defendendi afflicti amici. Similis ferè locus est in quarta Elegia quarti libri de Tristibus. Ad fabulam est adiectum epiphonema, in quo accommodatur fabula ad præsens negocium per argumentum ex minore, seu difficiliore. In octo ultimis uersibus argumentatur à moribus Cottæ, ac eius genere paterno, & materno, quod deceat hoc eius mores, & utrumq; genus.

AD COTTAM.

Qvam legis à nobis missam tibi Cotta salutẽ
Missa sit ut uere, perueniatq; precor.
Nanq; meis sospes multum cruciatibus aufers,
Atq;, sit ut nobis pars bona salua, facis.

Cumq́; labent alij, iactataq́; uela relinquant,
Tu laceræ remanes anchora sola rati.
Grata tua est igitur pietas, ignoscimus illis,
Qui cum fortuna terga dedere fugæ.
Cum feriant unum, non unum fulmina terrent,
Iunctaq́; percusso turba pauere solet.
Cumq́; dedit paries uenturæ signa ruinæ,
Sollicito uacuus fit locus ille metu.
Quis non è timidis ægri contagia uitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum?
Me quoq; amicorum nimio terrore metuq́;
Non odio quidam destituere mei.
Non illis pietas, non officiosa uoluntas
Defuit, aduersos extimuere deos.
Vtq; magis cauti possunt timidiq; uocari,
Sic appellari non meruere mali.
At meus excusat caros ita candor amicos,
Vtq; habeant de me crimina nulla facit.
Sint hi contenti uenia, signentq; licebit,
Purgari factum me quoq; teste suum.
Pars estis pauci melior, qui rebus in arctis
Ferre mihi nullam turpe putatis opem.
Tunc igitur meriti morietur gloria uestri,
Cum cinis absumpto corpore factus ero.
Fallor, & illa meæ superabit tempora uitæ,
Si tamen à memori posteritate legar.

Corpo-

Corpora debentur mœstis exanguia bustis,
Effugiunt structos nomen honosq; rogos.
Occidit & Theseus, & qui comitauit Orestem,
Sed tamen in laudes uiuit uterq; suas.
Vos etiam seri laudabunt sæpe nepotes,
Claraq; erit scriptis gloria uestra meis.
Hic quoq; Sauromatæ iam uos nouêre, Getæq;,
Et tales animos barbara turba probat.
Cumq; ego de uestra nuper probitate referrem,
Nam didici Getice, Sarmaticeq; loqui,
Fortè senex quidam, cœtu cum staret in illo
Reddidit ad nostros talia uerba sonos:
Nos quoq; amicitiæ nomen bene nouimus hospes,
Quos procul à uobis alter & orbis habet.
Est locus in Scythia, tauros dixere priores,
Qui Getica longe non ita distat humo.
Hac ego sum terra, patriæ nec pœnitet, ortus,
Consortem Phœbi gens colit illa deam.
Templa manent hodie uastis innixa columnis,
Perq; quaterdenos itur in illa gradus.
Fama refert illic signum cœleste fuisse,
Quoq; minus dubites, stat basis orba dea.
Araq;, quæ fuerat natura candida saxi,
Decolor à fuso tincta cruore rubet.
Fœmina sacra facit tæda non nota iugali,
Quæ superat Scythicas nobilitate nurus.

Sacrifici genus est (sic instituere priores)
Aduena uirgineo cæsus ut ense cadat.
Regna Thoas habuit Mæotide clarus in ora,
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
Sceptra tenente illo liquidas fecisse per auras
Nescio quam dicunt Iphigeneiam iter,
Quàm leuibus uentis sub nube per æquora uectam
Creditur his Phœbe deposuisse locis.
Præfuerat templo multos ea rite per annos,
Inuita peragens tristia sacra manu,
Cum duo uelifera iuuenes uenêre carina,
Presseruntq; suo littora nostra pede.
Par fuit his ætas, & amor, quorum alter Orestes
Alter erat Pylades, nomina fama tenet.
Protinus immitem triuiæ ducuntur ad aram,
E uincti geminas ad sua terga manus,
Sparsit aqua captos lustrali Graia sacerdos,
Ambiat ut fuluas infula longa comas.
Dumq; parat sacrum, dum uelat tempora uittis,
Dum tardæ causas inuenit illa moræ,
Non ego crudelis, iuuenes ignoscite, dixit,
Sacra suo facio barbariora loco,
Ritus is est gentis, qua uos tamen urbe uenitis?
Quodue parum fausta puppe peristis iter?
Dixit, & audito patriæ pia nomine uirgo,
Consortes urbis repperit esse suæ.

Alter

Alter ut è uobis dixit cadat hostia sacris,
Ad patrias sedes nuncius alter eat.
Ire iubet Pylades carum periturus Orestem,
Hic negat, inq; uicem pugnat uterq; mori.
Extitit hoc unum, quod non conuenerat illis,
Cætera pars concors, & sine lite fuit.
Dum peragunt iuuenes pulchri certamen amoris,
Ad fratrum scriptas exarat illa notas.
Ad fratrem mandata dabat, cuiq; illa dabantur,
(Humanos casus aspice) frater erat.
Nec mora de templo rapiunt simulachra Dianæ,
Clamq; per immensas puppe feruntur aquas.
Mirus amor iuuenum, quamuis abiêre tot anni,
In Scythia magnum tunc quoq; nomen habet.
Fabula narrata est postquam uulgaris ab illo,
Laudarunt omnes facta piamq; fidem.
Scilicet hic etiam, qua nulla ferocior ora est,
Nomen amicitiæ barbara corda mouet.
Quid facere Ausonia geniti debetis in urbe,
Cum tangant diros talia facta Getas?
Adde quod est animus semper tibi mitis, & altæ
Indicium mores nobilitatis habent.
Quos Volesus patrij cognoscat nominis autor,
Quos Numa maternus non neget esse suos.
Adiectiq; probent genitiua agnomina Cottæ
Si tu non esses, interitura domus.

Digne uir hac serie lapso succurrere amico,
Conueniens istis moribus esse puta.

AD ELEGIAM TERTIAM ad Maximum.

HAec Epistola continet somniũ quoddam, in quo uisus est sibi Ouidius uidere Cupidinẽ cum eo colloqui. Rogat autem principio Maximum, ad quem scripta est Elegia, ut se ipsum audiat exponentem ei hoc somnium. Postea narrat somnium, quod incipit à descriptione temporis ac omnino poeticè aduentũ ad se Cupidinis depingit, ita etiam, quasi eius strepitu excitatus sit è somno, atq; uigilans cnm eo sit locutus. In fine tamen huius expositionis hoc in dubium uocat, utrum uerè adfuerit Cupido, an id ipse tantum somniauerit. Idem quoq; facit in principio statim Epistolæ. Quare autem hoc faciat causa est, quòd sæpe talia somnia nobis obijciuntur, ut nesciamus postea uigilauerimus ne, an dormiuerimus, idq; fit magna ex parte, quando aut ualde confusus est somnus, aut imperfectus, aut quando post somnium expergefacti iterum, uel etiam tertio dormimus, quod ut plurimum

plurimum totum quoq; somnium nobis excurit, & tollit è memoria. Tertio exponit orationem, qua sit usus ad Cupidinem. Est autem huius orationis hæc ferè sententia: Poeta expostulat cũ Cupidine, ac dicit ipsi us culpa se perĳsse, idq; poetice. Nam facit ex se præceptorem, ex Amore discipulum. In libris enim de arte amandi uidetur tanq; docere Cupidinem, cum doceat homines, quomodo amare, uel potius quomodo debeant amorem puellarum masculi, & puellæ masculorum sibi conciliare. Et ut maioris ingratitudinis eum arguat, usurpat exempla contraria, non Eumolphum, non Olympum, non Achillem, non Numam ta lem gratiam retulisse præceptori suo, soli sibi à Cupidine tam malam gratiam relatam esse pro summis beneficĳs. Addit etiam excusationem facti, quòd libros de arte amandi sic scripserit, ut tamen non docuerit illegitimos, & inconcessos amores, ut sunt adulteria, stupra, incœstus. In fine precatur Cupidinem, ut ipsi leniat iram Cæsaris, & impetret apud eũ commodiorẽ locum exilĳ.

Per mea tela faces, & per mea tela &c.

Responsio Cupidinis, quæ uersatur in duobus locis: prior est excusatio non tam Oui-

dij, quàm ipsius Cupidinis, & respicit primam, & secundam partes orationis præcedentis, in quarum altera Poeta culpam suorum malorum in illum Deum transtulerat: In altera se excusauerat, ac latenter cum excusauerat Cupidinem, tum accusauerat Augustum iniuriæ, uel crudelitatis. Dicit enim Cupido non uersus ei suos in caussa esse, quare sit relegatus in exilium, uerum aliud quiddam maius, quod ne dici quidem debeat, sicut alibi non sub aliena persona manifeste Ouidius fatetur. Hoc autem est excusare se, & Augustum & Ouidium accusare, aut potius damnare. Porro hæc pars est figurata obtestatione, seu iurando. Posterior pars est consolatio, quę nata est ex prima parte orationis Ouidianę, ubi quæsiuerat statim initio, quid sibi uellet, quare uenisset in Scythiam Cupido. Ad id respondet hic Cupido, quod ipsius consolandi gratia aduenerit. Deinde addit consolationem, ac iubet eum bono animo esse: Fore enim, & breui quidem, ut minus ei Cæsar irascatur. Atq; se id acturum esse apud Cæsarem, & nunc esse occasionem hoc faciendi, cum lætus sit Cæsar, & omnis eius familia, propter deuictos hostes, &
honorum

honorum magnitudinem, quibus afficiatur à suis ciuibus. In fine Epistolæ redit ad Maximum, & partim suum ipsi iudicium de eo declarat, quòd nihil de fauore, & studio eius erga se dubitet: partim prædicat eius candorem, ac simplicitatem qui locus amplificatus est Schemate, quod uocant ἀδύνατον, et sententia sumpta à contrario per collationem, Inuidos non excelsos fieri. Ipsum uero non tantum Maximi nomen habere, sed animum nomine maiorem. Postremi quatuor uersus sunt conclusio, in qua rogat Maximum, ut supplicem ipsum iuuare uelit. Ad hanc petitionem referenda sunt omnia, quæ in tota Epistola tractantur. Estq; somnij expositio uelut quoddam argumentũ suasorium, sicut sunt ea quoq;, quæ sequuntur proxime somnium, ut hæc sit summa scripti: Cum diuinitus iubear expectare auxilium (id autem in somnio factum erat à Cupidine) cumq; id mores tui, atq; ingenium à te postulent, nec ego aliter de te iudicauerim, debes operam dare, ut mitescat mihi ira Cæsaris. Atq; ita simul tota Elegia est generis deliberatiui, redactis omnibus partibus in unum corpus, & ad unum quiddam destinatis.

AD MAXIMVM.

SI uacat exiguum profugo dare tempus amico,
O sydus Fabiæ Maxime gentis ades.
Dum tibi quæ uidi refero, seu corporis umbra est,
Seu ueri species, seu fuit ille sopor:
Nox erat, & bifores intrabat luna fenestras,
Mense ferè medio quanta nitere solet.
Publica me requies curarum somnus habebat,
Fusaq; erant toto languida membra thoro,
Cum subito pennis agitatus inhorruit aër,
Et sonuit paruo mota fenestra sono.
Territus in cubitũ releuo mea membra sinistrum,
Pulsus & è trepido pectore somnus abit,
Stabat amor uultu, non quo prius esse solebat,
Sceptra tenens leua tristis acerna manu.
Nec torquem collo, nec habens crinale capillis,
Nec bene compositas comptus, ut ante, comas.
Horrida pendebant molles super ora capilli,
Et uisa est oculis horrida penna meis,
Qualis in aeriæ tergo solet esse columbæ,
Tractatam multæ quam tetigere manus.
Hunc simul agnoui (neq; enim mihi notior alter)
Talibus affata est libera lingua sonis:
O puer exilij decepto causa magistro,
Quem fuit utilius non docuisse mihi.

Huc

Huc quoq; uenisti, pax est ubi tempore nullo,
Et coit astrictis barbarus Ister aquis?
Quæ tibi causa uiæ? nisi uti mala nostra uideres?
Quæ sunt, si nescis inuidiosa tibi.
Tu mihi dictasti iuuenilia carmina primum,
Apposui senis te duce quinq; pedes.
Nec me Mæonio consurgere carmine, nec me
Dicere magnorum passus es acta ducum.
Forsitan exiguas, aliquas tamen, arcus & ignes
Ingenij uires comminuêre mei.
Nanq; ego dum canto tua regna tuæq́; parentis,
In nullum mea mens grande uacauit opus.
Nec satis hoc fuerat, stultus quoq; carmina feci,
Artibus ut posses non rudis esse meis.
Pro quibus exilium durum mihi reddita merces,
Id quoq; in extremis & sine pace locis.
At non Chionides Eumolphus in Orphea talis,
In Phryga nec Satyrum talis Olympus erat.
Præmia nec Chiron ab Achille talia cepit,
Pythagoræq́; ferunt non nocuisse Numam.
Nomina neu referam longum collecta per æuum,
Discipulo perij solus ab ipse meo.
Dum damus arma tibi, dum te lasciue docemus,
Hæc de discipulo dona magister habet.
Scis tamen, & liquido iuratus dicere posses,
Non me legitimos sollicitasse thoros.

Scripsi-

Scripsimus hæc illis, quarum nec uitta pudicos
Attingit crines, nec stola longa pedes.
Dic precor hoc, quando didicisti fallere nuptas,
Et facere incertum per mea iussa genus?
An sit ab his omnis rigidæ summota libellis?
Quam lex furtiuos arcet habere uiros?
Quid tamen hoc prodest, uetiti si lege seuera
Credor adulterij composuisse notas?
At tu sic habeas ferientes cuncta sagittas,
Sic nunquam rapido lampades igne uacent.
Sic regat imperium, terrasq; cohérceat omnes
Cæsar, ab Aenea qui tibi fratre nepos.
Effice, sit nobis non implacabilis ira,
Meq; loco plecti commodiore uelit.
Hæc ego uisus eram puero dixisse uolucri,
Hos uisus nobis ille dedisse sonos:
Per mea tela faces, & per mea tela sagittas,
Per matrem iuro, Cæsareumq; caput,
Nil nisi concessum nos te didicisse magistro,
Artibus & nullum crimen inesse tuis.
Vtq; hæc, sic utinam defendere cætera posses,
Scis aliud quod te læserit esse magis.
Quidquid id est (neq; enim debet dolor ipse referri)
Non potes à culpa dicere abesse tua.
Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres,
Non grauior meritis iudicis ira fuit.

Vt tamen

Vt tamen aſpicerem, conſolarerq́; iacentem,
Lapſa per immenſas eſt mea penna uias.
Hæc loca tum primum uidi, cum matre rogante
Phaſias eſt telis fixa puella meis.
Quæ nunc cur iterum poſt ſecula longa reuiſam,
Tu facis ô caſtris miles amice meis.
Pone metus igitur, miteſcet Cæſaris ira,
Et ueniet uotis mollior aura tuis.
Neue morā timeas, tempus, quod quærimus, inſtat,
Cunctaq́; Leticiæ plena triumphus habet.
Dum domus, & nati, dum mater Liuia gaudet,
Dum gaudes patriæ magne ducisq́; pater,
Dum tibi gratatur populus, totamq́; per urbem
Omnis adoratis ignibus ara calet,
Dum præbet faciles aditus uenerabile tempus,
Sperandum eſt noſtras poſſe ualere preces.
Dixit, & aut ille eſt tenues dilapſus in auras,
Cœperunt ſenſus aut uigilare mei.
Si dubitem, faueas quin his ô Maxime dictis,
Memnonio cygnos eſſe colore putem.
Sed neq; mutatur nigra pice lacteus humor,
Nec quod erat candens fit Terebinthus ebur.
Conueniens animo genus eſt tibi, nobile nanq;
Pectus & Herculeæ ſimplicitatis habes.
Liuor, iners uitium, mores non exit in altos,
Vtq; latens ima uipera ſerpit humo.

Mens

Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum,
Grandius ingenio nec tibi nomen inest.
Ergo alij noceant miseris, optentq; timeri,
Tinctaq; mordaci spicula felle gerant,
At tua supplicibus domus est aßueta iuuandis,
In quorum numero me precor esse uelis.

AD ELEGIAM QVARTAM *ad Rufinum.*

TAmetsi hæc Epistola uarias partes habet, præcipua tamen est commendatio, ex qua etiam reliquæ omnes natæ sunt, & ad illam pertinent. Descripserat Ouidius triumphum Tiberij priuigni Augusti ex Germania partum, & actum, illud poema commendat hic Poeta Rufino. Sed recitemus ordine singulas partes: In primis duobus uersibus suo quodam more amicum salutat. Deinde statim annectit illam commendationem, in qua petit à Rufino fauorem, & defensionem suo carmini de triumpho illo. Hoc carmen non habetur à nobis, sed perijt cum plerisq; alijs huius Poetę operibus. Tertius locus est extenuatio poëmatis inserta commendationi. Quartus est collatio, qua amplificat extenuationem cum generali sententia, quæ tamen est astricta ad

quiddã speciale, & allegoricum, quod ideo etiam simplici oratione statim repetitur. Firma ualetudo nõ habet opus medico, sed ipsa per se sustentatur. Cõtra, fit in imbecilli corpore, hoc est, excellentes Poëtę non indigent fauore lectoris, nos infirmi sine fauore lectoris nihil ualeremus. Sic autem cohęrẽt hæ tres partes, ut commendationis uelut causa quædã sit extenuatio, extenuationis, collatio. Quinta pars est excusatio continẽs etiam collationem, illum librum singulare quoddam ius ueniæ habere, quòd ipse non fuerit spectator triumphi, ut alij poetæ fuerint, quæ res habeat multum ad scribendũ momenti. Idem docent hi uersus Horatij: Segnius irritant demissa per aurem, Quàm quę sunt oculis subiecta fidelibus. Est hoc argumentum à loco sumptum, & dilatatũ nonnihil distributione, cum recitat uarias tanquam partes triumphi, & similitudine, item figura, quam ἀδιώατον uocant, ac duplici conclusione speciali, ac generali, debere sibi propterea amicos, & alios omnes lectores ignoscere. Addidit conclusionibus istis argumentum à statu suo, figuratum similitudine, ineptum se esse ad tractandas res lætas propter miserias suas. Hæc duo argumen-

ta sunt ex ipsa re nata, & ἔντεχνα. Sequitur tertium à qualitate temporis et est ἄτεχνον, Serius uenire suum poema in manus hominum, quàm aliorum poetarum. Estq́ ibi integer syllogismus. Quæ serius leguntur ingratiora sunt, meum scriptũ serius legitur, ergo ingratius est. Hinc oritur occupatio, in qua excusat morã in describendo triumpho, non propter suam negligentiam tardius haberi hoc carmen, sed propter locorum longinquitatem, & repetitur argumentum à qualitate temporis figurate. Est enim allegoria, quod dicit de primis rosis. Caussa huius rei est apud Martialem, ubi ait: Rara iuuant, primis sic maior gratia pomis, Hybernæ precium sic meruere rosæ. Additur deinde alia occupatio per Apostrophen, in qua dicit ad alios poetas non contra ipsos hæc se dicere, sed pro sese: Videbantur enim eius uerba nescio quam uituperationem reliquorum poetarum continere. Post hanc apostrophen repetit tertio commendationem, & concludit hanc partem, cui tamen subijcit adhuc tria argumenta: Horum primum est etiam à temporis qualitate ductũ cum quadam gnome, & habet quiddam grauiter iocosum: Mortuorum scripta magis in

gis in precio sunt, quàm uiuorum, sicut ipse infra dicit: famaq; post cineres maior uenit. & Martialis: cineri gloria sera uenit. Item Propertius: Omnia post obitum fingit maiora uetustas, Maius ab exequijs nomen in ora uenit. Ego autem propemodũ non amplius uiuo, cum sim in tantis miserijs. Si conclusio addatur, fiet integer syllogismus: Ergo poema meum debet uobis placere. Secundum est à uoluntate ortũ per Antipophoram. Esto quod non sint boni uersus, uoluntas tamen non defuit mihi. Tale dictũ est & hoc Propertij: Quòd si deficiant uires, audacia certe Laus erit, in magnis & uoluisse sat est. Tertium à rei magnitudine, & carminis genere est sumptum. Huic argumento cõmode annectit uaticinium de futuro altero triumpho per dubitationẽ, Breui triumphaturum esse iterũ Tiberiũ, nec scire se quo genere carminis in describendo eo triumpho utatur. Conciliat huic suo uaticinio authoritatẽ à diuinitate poetarum, et multis deinde uersibus adhortatur Liuiã ad apparandũ currũ et promendas uesteis, et alia ornamenta triũphalia. Postremi duo uersus sunt precatio ad deos immortaleis, ut hęc cito eueuiant. Atq; hic totus locus

est tantum amplificatio nata ex postremo argumento excusationis. Cæterum tota excusatio cũ suis omnibus argumentis est uelut alena, & una tantum ratio commendationis sumpta ab efficiente malum poema, aut impediente bonum fieri. Atq; sic totum negocium uersatur intra tres orationes: Commendatum tibi debet esse meum carmen, quia opus habet tuo fauore, & defensione. Item quia non mea culpa aliqua, præcipue neglectum aliquid ibi, aut peccatũ est. Hanc autem postremam uelut peculiarem partem peculiaribus argumentis declarauit, sicut iam est ostensum.

AD RVFINVM.

HAec tibi non uanam portantia uerba salutẽ
Naso Tomitana mittit ab urbe tuus.
Vtq; suo faueas mandat Rufine libello,
In uestras uenit si tamen ille manus.
Est opus exiguum, uestrisq; paratibus impar,
Quale tamen cunq; est, ut tueare, rogo.
Firma ualent per se, nullumq; Machaona quærunt,
Ad medicam dubius confugit æger opem.
Non opus est magnis placido lectore poetis,
Quemlibet inuitum, difficilemq; tenent.

Nos, qui-

Nos, quibus ingenium longi minuêre labores,
Aut etiam nullum forsitan ante fuit,
Viribus infirmi, uestro candore ualemus,
Quem mihi si demas, omnia rapta putem.
Cunctaq; cum mea sint propenso nixa fauore,
Præcipuum ueniæ ius habet ille liber.
Spectatum Vates alij scripsere triumphum,
Est aliquid memori uisa notare manu,
Nos ea uix auidam uulgi captata per aurem
Vidimus, atq; oculi fama fuere mei.
Scilicet affectus similes, aut impetus idem
Rebus ab auditis conspicuisq; uenit?
Nec nitor argenti quem uos uidistis & auri,
Quod mihi defuerit, purpuraq; illa queror,
Sed loca, uel gentes formatæ mille figuris
Nutrissent carmen præliaq; ipsa meum.
Et regum uultus certißima pignora gentis
Iuuissent aliqua forsitan illud opus.
Plausibus ex ipsis populi, lætoq; fauore
Ingenium quoduis incaluisse potest.
Tamq; ego sumpsissem tali clamore uigorem,
Quàm rudis audita miles ad arma tuba.
Pectora sint nobis niuibus glacieq; licebit,
Atq; hoc, quem patior, frigidiora loco,
Illa ducis facies in curru stantis eburno
Excuteret frigus sensibus omne meis.

His ego defectus dubijsq; autoribus usus,
Ad uestri uenio iure fauoris opem.
Nec mihi nota ducum, nec sunt mihi nota locorum
Nomina, materiam non habuêre manus.
Pars quota de tantis rebus quam fama referre,
Aut aliquis nobis scribere posset, erat.
Quo magis O lector debes ignoscere, si quid
Erratum est illic, præteritumue mihi.
Adde quod assiduas domini meditata querelas
Ad lætum carmen uix mea uersa lyra est.
Vix bona post tanto quærenti uerba subibant,
Et gaudere aliquid res mihi uisa noua est.
Vtq; reformidant insuetum lumina solem,
Sic ad læticiam mens mea segnis erat.
Est quoq; cunctarum nouitas gratissima rerum,
Gratiaq; officio, quod mora tardat, abest.
Cætera certatim de magno scripta triumpho,
Iam pridem populi suspicor ore legi.
Illa bibit lector sitiens, mea pocula plenus.
Illa recens pota est, nostra tepebit aqua.
Non ego cessaui, nec fecit inertia serum,
Vltima me uasti sustinet ora freti.
Dum uenit huc rumor, properataq; carmina fiunt,
Factaq; eunt ad uos, annus abisse potest.
Nec minimum refert intacta rosaria primus,
An sera carpas penè relicta manu.

Quid

Quid mirum lectis exhausto floribus horto,
Si duce non facta est digna corona suo?
Deprecor hæc Vatum contra sua carmina ne quis
Dicta putet, pro se musa locuta mea est.
Sunt mihi uobiscum communia sacra Poetæ,
In uestro miseris si licet esse choro.
Magnaq; pars animi mecum uixistis amici,
Hac ego uos absens nunc quoq; parte colo.
Sint igitur uestro mea commendata fauore
Carmina, non possum pro quibus ipse loqui.
Scripta placent à morte fore, quia lædere uiuos
Liuor, & inuiso carpere dente solet.
Si genus est mortis male uiuere, terra moratur,
Et desunt fatis sola sepulchra meis.
Deniq; opus nostræ culpetur ut undiq; curæ,
Officium nemo qui reprehendat, erit.
Vt desint uires, tamen est laudanda uoluntas,
Hac ego contentos auguror esse deos.
Hæc facit, ut ueniat pauper quoq; gratus ad aras,
Et placeat cæso non minus agna boue.
Res quoq; tanta fuit, quantæ subsistere summo
Aeneidos Vati grande fuisset onus.
Ferre etenim molles elegi tam uasta triumphi
Pondera disparibus non potuere rotis.
Quo pede nunc utar, dubia est sententia nobis,
Alter enim de te Rhene triumphus adest.

Irrita uotorum non sunt præsagia Vatum,
Danda Ioui laurus, dum prior illa uiret.
Nec mea uerba legis, qui sum summotus ad Istrum,
Non bene pacatis flumina pota Getis.
Ista Dei uox est, Deus est in pectore nostro,
Hoc duce prædico, uaticinorq́; Deo.
Quid cessas currum, pompamq́; parare triumphis
Liuia? dant nullas iam tibi bella moras.
Perfida damnatas Germania proijcit hastas,
Iam pondus dices omen habere meum.
Crede, breuiq́; fides aderit, geminabit honorem
Filius, & iunctis, ut prius, ibit equis.
Prome, quod inijcias humeris uictoribus ostrum,
Ipsa potest solitum nosse corona caput.
Scuta sed, & galeæ gemmis radientur & auro,
Stentq́; super uictos trunca trophæa uiros,
Oppida turritis cingantur eburnea muris,
Fictaq́; res uero more putetur agi.
Squallidus immittat fracta sub arundine crines
Rhenus, & infectas sanguine potet aquas.
Barbara iam capiti possint insignia reges,
Textaq́; fortuna diuitiora sua.
Et quæ præterea uirtus inuicta tuorum
Sæpe parata tibi, sæpe paranda facit.
Dij quorum monitu sumus hæc uentura locuti
Verba, precor celeri nostra probate fide.

Ad Quin=

AD QVINTAM ELEGIAM ad Cottam.

MIxtum est genus in hac Epistola, partim enim laudat orationem quandã forensem Cottæ Poeta, quam nunciat ei se legisse cũ magna auiditate, ac sæpe relegisse cum nullo fastidio. Atq; eatenus ponimus hoc scriptum in demonstratiuum genus. Partim rogat Cottam, ut crebro mittat sibi talia munera: pertinet hoc ad deliberatiuum. Huic petitioni apertę attexit aliã quãdam occultam in fine per crebras interrogationes admodum figuratas, quod non uelit ipsius obliuisci, & quod uelit manere in amicitia. Atq; hæc est principalis pars, & ad illam aliæ respiciunt, illi alię inseruiunt. Salutatio est præposita primę parti, quæ est tantum narratio, ornata primum duabus similitudinibus, seu allegorijs, cuiusmodi sunt Ouidio familiarissimæ, quibus significat, quanq; gratissima fuerit sibi ista Cottæ oratio, tamen multo futuram fuisse gratiorem, si pręsens potuisset illum audire orantem, deinde πάθει à suo casu ducto: Licitũ sibi fuisse futurum interesse isti iudicio, quo habita sit hæc oratio à Cotta, nisi peccauisset. Tertia pars habet argumentum ab ipsius ani-

us animo, & studio erga Cottam cum imprecatione, & est à pari: ego nunquam tui obliuiscar, idem te decet facere. Quia autem id suo quodam modo dixerat per Metaphoram, quod semper in conspectu absens etiam habeat Cottam, adiecit duas amplificationes. Altera est occupatio, in cõspectu se mentis eũ habere. Altera est amplificatio occupationis, quę cõsistit in circũstantia temporis per collationẽ, seu antithesim, ut uideor mihi Deus esse, quãdo ita expatior animo ad uos Romã, iterũ uero discedens, puto redire me à superis ad inferos. In duobus ultimis uersiculis iubet Cottã nõ alere sibi spẽ reditus in patriã, si per fata non licet sibi redire.

AD COTTAM.

Qvã legis, unde tibi mittatur epistola, quæris,
Hinc ubi ceruleis iungitur Ister aquis.
Vt regio dicta est, succurrere debet & autor
Læsus ab ingenio Naso poeta suo.
Qui tibi, quam mallet præsens afferre salutem,
Mittit ab hirsutis maxime Cotta Getis.
Legimus ô iuuenis patrij non degener oris
Dicta tibi pleno uerba diserta foro.
Quæ, quanquam lingua mihi sunt properãte per horas
Lecta satis multas, pauca fuisse queror.

Plura

Plura sed hæc feci relegendo sæpe, nec unquam,
Hæc mihi, quàm primo, grata fuere minus.
Cumq; sua toties nihil è dulcedine perdant,
Viribus illa suis non nouitate placent.
Fœlices, quibus hæc ipso cognoscere in actu,
Et tam facundo contigit ore frui.
Nam, quanquam sapor est ablata dulcis in unda,
Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quàm de cælata sumere lance iuuat.
At nisi peccassem, nisi me mea musa fugasset,
Quod legi, tua uox exhibuisset opus.
Vtq; fui solitus, sedissem forsitan unus
De centum iudex in tua uerba uiris.
Maior & implesset præcordia nostra uoluptas,
Dum traherer dictis, annueremq; tuis,
Quem quoniam fatum patria uobisq; relictis,
Inter inhumanos maluit esse Getas.
Quod licet ut uidear tecum magis esse legendo,
Sæpe precor studij pignora mitte tui.
Exemploq; meo, nisi dedignaris ad ipsum
Vtere, quod nobis rectius ipse dares.
Nanq; ego, qui perij iam pridem Maxime uobis,
Ingenio nitor non perijsse meo.
Redde uicem, nec rara tui monimenta laboris
Accipiant nostræ grata futura manus.

Dic ta-

Dic tamen ô iuuenis studiorum plene meorum,
Ecquid ab his ipsis admoneare mei.
Ecquibus aut recitas factum modo carmen amicis,
Aut quod sæpe soles exigis ut recitent?
Interdum queritur tua mens oblita quid absit,
Nescio quid certe sensit abesse tui.
Vtq; loqui multum de me præsente solebas,
Nunc quoq; Nasonis nomen in ore tuo est.
Ipse quidem Getico peream uiolatus ab arcu,
Et sit periuri quàm propè pœna uides.
Te nisi momentis uideo penè omnibus absens,
Gratia sit menti, quolibet ire licet.
Hac ubi perueni nulli cernendus in urbem,
Sæpe loquor tecum, teq; loquente fruor.
Tunc mihi difficile est, quàm sit bene dicere, quamq;
Candida iudicijs illa sit hora meis.
Tunc me, si qua fides, cœlesti sede receptum
Cum fortunatis suspicor esse deis.
Rursus ubi huc redij, cœlum superosq; relinquo,
A Stygenon longe Pontica distat humus.
Vnde ego si fato nitor prohibente reuerti,
Spem sine profectu Maxime tolle mihi.

AD ELEGIAM SEXTAM AD Sodalem quendam.

IN hac etiam Elegia orditur Ouidius à ſalutatione & ſtatim ſubiungit obiurgationem, admodum lenem, ac humanitatis plenam, quales decet eſſe amicorum inter ſe ut plurimum. Oſtendit autem amico ſuo, quod in eo peccet, quod nõ uelit in his amici ſui libris nominari, & utitur ad eam rem quatuor, aut quinq; argumentis, & duabus amplificationibus, quorum hęc eſt uis, & ordo. Primum eſt clementia Cæſaris, per ipſius exemplum probata, non eſſe tam inhumanum Auguſtum, ut nolit amicos inter ſe memores eſſe, & alterum alteri ſcribere. Secundum eſt honeſtas, debere amicos ſibi mutuam conſolationem. Tertium eſt incommodum quoddam Auguſti, ſeu iniuria concomitans iſtiuſmodi intempeſtiuã obſeruantiam, quod iſta eius opinione, metu & facto ueniat in inuidiam Auguſti domus, & ſuſpitionem crudelitatis. Deinde ſequitur prima amplificatio, quę pertinet ad argumentum de clementia Cæſaris, & uerſatur in exemplis, aliorum etiam deorũ eſſe morem, ut non perpetuo affligant, aut ut non ue

non uelint perditos in uniuersum eos, à quibus offensi sunt, quos oderint. Huic continuatur altera amplificatio, in qua confert reliquos deos cum Augusto, & ostendit exemplis Augusto hac parte omnes alios deos inferiores esse. Quartum argumentum sunt duo exempla pugnantia, In Busiridi, aut Phalari tyrannis hoc timeri posse, non in Cæsare iustissimo principe. Postea repetit argumentnm à clementia Augusti, & addit quintum, quod est anteactum ipsius cum excusatione, se quidem grauiter peccasse, quod in prioribus Epistolis non posuerit eorum nomina, quibus scripserat (intelligit autem Elegias tristium) sed tamen ex metu, in quo tum fuerit maximo, factũ hoc excusari posse. Adiungitur huic loco petitio cum argumento à contrario turpitudini: petit, ut liceat sibi posthac per ipsum, nomen eius inserere suis poematis, ac turpiter aliter fieri, propter intimam, & uetustissimam ipsorum amicitiam. Eam petitionem mitigat, se tamen non esse hoc facturum, si ipse nolit, atq; sic Epistolam claudit. Quòd hic dicit de Vlysse, & Neptuno, & Leucothea est apud Homerum in quinto libro Odysseæ.

Ad So-

AD SODALEM QVENDAM.

NAso suo, posuit nomen cui penè sodali,
Mittit ab Euxinis hoc breue carmē aquis.
At si cauta parum scripsisset dextra quis esses,
Forsitan officio parta querela foret.
Cur tamen hoc alijs tutum credentibus unus
Appellent nec te carmina nostra rogas?
Quanta sit in media clementia Cæsaris ira,
Si nescis, ex me certior esse potes.
Huic ego quam patior nil possum demere pœnæ,
Si iudex meriti cogerer esse mei.
Non uetat ille sui quenquam meminisse sodalis,
Nec probibet tibi me scribere, teq; mihi.
Nec scelus admittas si consoleris amicum,
Mollibus & uerbis aspera fata leues.
Cur dum tuta times, facis ut reuerentia talis
Fiat in Augustos inuidiosa deos?
Fulminis afflatos interdum uiuere telis
Vidimus, & refici non prohibente Ioue.
Nec quia Neptunus nauem lacerauit Vlyßis,
Leucothoe nanti ferre negauit opem.
Crede mihi miseris cœlestia numina parcunt,
Nec semper læsos & sine fine premunt.
Principe nec nostro Deus est moderatior ullus,
Iusticia uires temperat ille suas.

Nuper

Nuper eam Cæsar facto de marmore templo,
Iam pridem posuit mentis in æde suæ.
Iuppiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpa non meruere pati.
Obruerit cum tot sæuis Deus æquoris undis,
Ex illis mergi pars quota digna fuit?
Cum pereant acie fortißima quæq;, uel ipso
Iudice, delectus Martis iniquus erit.
At si fortè uelis in nos inquirere, nemo est
Qui se quod patitur commeruisse neget.
Adde quod extinctos uel aqua, uel Marte uel igne
Nulla potest iterum restituisse dies.
Restituit multos, aut pœnæ parte leuauit
Cæsar, & in multis me precor esse uelit.
At tu, cum tali populus sub principe simus,
Alloquio profugi credis inesse metum.
Forsitan hæc domino Busiride iura timeres,
Aut solito clausos urere in ære uiros.
Desine mitem animum uano infamare timore,
Sæua quid in placidis saxa uereris aquis?
Ipse ego q; primo scripsi sine nomine uobis,
Vix excusari posse mihi uideor.
Sed pauor attonito rationis dempserat usum,
Cesserat omne meis consiliumq; malis.
Fortunamq; meam metuens, non uindicis iram,
Terrebar titulo nominis ipse mei.

Hacte-

Hactenus admonitus memori concede poetæ,
Ponat ut in chartis nomina chara suis.
Turpe erit ambobus, longo mihi proximus usu
Si nulla in libri parte legêre mei.
Ne tamen iste metus poßit tibi rumpere somnos,
Non ultra, quamuis, officiosus ero.
Teq; tegam, qui sis, nisi cum permiseris ipse,
Cogetur nemo munus habere meum.
Tu quoq;, quem poteras uel aperte tutus amare,
Si res est anceps illa, latenter ama.

AD ELELIAM SEPTIMAM ad Amicos.

HAnc Elegiam ad amicos suos scripsit Ouidius, quæ quidem non est longa, si uerba, & orationes consideres. Si autem rerum uarietatem, & copiam spectes, uel lõgissima est: Continet enim exordiũ, seu narrationem nunciatoriam, petitionem, consolationem, reprehensionem, excusationem, præter conclusiones, argumenta, & figuras. Est autem plenum totum scriptum desperatione, doloribus, mœrore, & alijs affectibus uehementer animũ cruciantibus & urentibus, quales solent esse in homine desperabũdo, aut dimicante cum desperatione. Cuius

rei est hic uelut effigies quędam sculpta, & proposita, atque ab artifice quidem et perito, ac rem ueram ac seriam agente, non simulatam. Sic autem partes cohærent & hoc tractant. Exordium est ab inani opera, & studio factum, quod tam sæpe scripserit de eadem re, ut nunc se uerba deficiant, & ipsis clausæ adhuc, literæ significent, quid uelit. Intelligit autem crebras petitiones ad eos de roganda sibi à Cęsare mitigatione exilij. Addita est exordio cōclusio: Quare liberabo semel uos hac molestia, & non amplius hoc à uobis petam. Notatur autem simul in hac parte illorum negligentia. Sequitur petitio ualde acerba, & reprehensoria. Petit enim sibi ignosci, quod bene de ipsis sperauerit, quo significat eos peccare, cum offendantur ea re, quæ laudem habeat, non reprehensionem. Bene autem sperare hic significat expectare auxilium, aut spem in eis habere, hoc est, sperare non quod ipsis aliquando sit bene futurū, sicut plerumque accipitur, sed quod sint benefacturi Ouidio. Pollicetur etiā hic eis quod uelit & ipsis, et uxori suę posthac parcere in hac re. Vxoris enim hic etiā accusat negligentiā, Postea cōsolatur se ipse pręteritis malis, sicut facit Virgilius: O passi gra-

ſi grauiora, dabit Deus his quoq; finem. & Homerus quē imitatus eſt Virgilius, ὦ φίλοι ὀ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν. Amplificat hoc argumentum exemplo per contrariū, ſeu imperfecta ſimilitudine, iuuēcos primū ęgre aratra trahere, ſe nunc induratū eſſe ad mala ferēda. Cōcludit etiā hāc partē adiecta ſententia, per ἀντίθεσιν, eſtq; ratio cōcluſionis hęc ſentētia: Ego fortiter moriar in exilio. Eſt enim ſperandū ibi tantū, ubi nō eſt fruſtra ſperare, nō ubi ſuper uacanea eſt omnis ſpes. Ac imitat̃ in eo etiā loco Virgilij dictū: Vna ſalus uictis nullam ſperare ſalutē. Addit deinde aliā rationē per exempla nonnulla, uulnera fiunt deteriora, quando curant̃, itē qui cito perit in unda, mitius perit, q̃ is qui diu natat, et luctatur, nihil tamē proficit. Eſt enim acerbiſsima crudelitas quę trahit pœnā, et miſericordię genus eſt cito occidere, ut inquit Seneca: Cōſtituit autē hic locus enthymema, ubi nō eſt ſpes, ibi nulla debet cōcipi: Ergo ego debeo deſperare. Omiſſa eſt minor, Apud me nulla eſt ſpes. Poſt cōſolationē obiurgat ſe ipſe q tā diu bene ſperauerit et excuſat ſe obiter de illa uana ſpe q crucietur adhuc etiā aſpectu regionis tā fœdę. Corrigit hoc iſtis uerbis q

rectius tamen sit facturus, si nō sit amplius molestus suis, quàm si pergat imponere eis onus accedēdi, & rogandi amicos, qui precentur ipsi à Cęsare mitiorem locum exilij. Postremi duo uersus conclusionem continēt per irrisionem, forti animo se moriturū esse in ista barbaria, nisi & hoc sit prohibiturus Cæsar.

AD AMICOS.

Verba mihi desunt, eadem tam sæpe roganti,
Iamq; pudet uanas fine cauere preces.
Tædia consimili fieri de carmine uobis,
Quidq; petam, cunctos edidicisse reor.
Nostraq; quid portet iam nostis epistola, quamuis
Charta sit à uinclis non labefacta suis.
Ergo mutetur scripti sententia nostri,
Ne toties contra, quàm rapit amnis, eam.
Quod bene de uobis speraui ignoscite amici,
Talia peccandi iam mihi finis erit.
Ne grauis uxori dicar, quæ scilicet in me
Quàm proba, tam timida est, experiensq; parū.
Hoc quoq; Naso feres, etenim peiora tulisti,
Iam tibi sentiri sarcina nulla potest.
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum,
Subtrahit & duro colla nouella iugo.

Nos qui-

Nos quibus assueuit fatum crudeliter uti,
Ad mala iam pridem non sumus illa rudes.
Venimus in Geticos fines, moriamur in illis,
Parcaq; ad extremum, quo mea cœpit, eat.
Spem iuuat amplecti, quæ non iuuat irrita semper,
Et fieri cupias, si qua futura putas.
Proximus huic gradus est bene desperare salutem,
Seq; semel uera scisse perisse fide.
Curando fieri quædam maiora uidemus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.
Mitius ille perit, subita qui mergitur unda,
Quàm sua qui liquidis brachia lassat aquis.
Cur ego concepi Scythicis me posse carere
Finibus? & terra prosperiore frui?
Cur aliquid de me speraui lenius unquam?
An fortuna mihi sic mea nota fuit?
Torqueor en grauius, repetitaq; forma locorum
Exilium renouat triste, recensq; facit.
Est tamen utilius studium cessare meorum,
Quàm quas admorim non ualuisse preces.
Magna quidem res est, quam non audetis amici,
Sed si quis peteret, qui dare uellet, erat.
Dummodo non uobis hoc Cæsaris ira negabit,
Fortiter Euxinis immoriemur aquis.

AD ELEGIAM OCTAVAM
ad Maximum.

OVidius misit Maximo pharetram, & tela Scythica. Ei dono addidit hoc epistolium, ut fieri solet, in cuius initio excusat se bene prolixe pro hoc scripto, per quandam uelut epagogam. Recitat enim uarias res preciosiores, quæ debuerint tanto uiro potius mitti, sed illas non haberi in Scythia. Quapropter, cum miserit, quod potuerit, debere eum hoc munusculi boni consulere. Atq; ita sunt duæ partes Epistolæ, altera excusatio, altera breuissima commendatio muneris: Quanquam etiam elegans quidam locus est in fine additus, Hæc esse illius loci instrumenta scriptoria, & literaria, hæc esse ipsa literarum studia. Et in principio locus beneuolentiæ, cum dicit Maximum dignum esse auro, & argento, sed tum demum delectari eum, quando illa det, laudans ita liberalitatem eius, & animi generositatem. Est enim omnino generosius quiddam & laudabilius, dare beneficium, quàm accipere, adeo, ut Mimus etiam dixerit: Beneficium accipere libertatem uendere est.

Ad Maxi-

AD MAXIMVM.

Quæ tibi quærebam memorē testantia curam
Dona Tomitanus mittere posset ager.
Dignus es argento, fuluo quoq; dignior auro,
Sed te cum donas, ista iuuare solent.
Nec tamen hæc loca sunt ullo preciosa metallo,
Hostis ab agricola uix sinit illa fodi.
Purpura sæpe tuos fulgens protexit amictus,
Sed non Sarmatico tingitur illa mari.
Vellera dura ferunt pecudes & Palladis uti
Arte Tomitanæ non didicêre nurus.
Fœmina pro lana cerealia munera frangit,
Suppositoq; grauem uertice portat aquam.
Non hic pampineis amicitur uitibus ulmus,
Nulla premunt ramos pondere poma suo.
Tristia deformes pariunt absinthia campi,
Terraq; de fructu quàm sit amara docet.
Nil igitur tota Ponti regione sinistri,
Quod mea sedulitas mittere posset, erat.
Clausa tamen misi Scythica tibi tela pharetra,
Hoste precor fiant illa cruenta tuo.
Hos habet hæc calamos, hos hæc habet ora libellos,
Hæc uiget in nostris Maxime musa locis.
Quæ quanquam misisse pudet, quia parua uidētur,
Tu tamen hæc quæso consule missa boni.

AD ELEGIAM NONAM ad Brutum.

DVplicem excuſationem habet hęc Elegia, generalẽ et ſpecialẽ. In priore excuſat ſe de erroribus ſuorũ poematũ, quę in exilio cõponebat: In poſteriore de uno, & certo peccato, quod ſcripſerat Brutus in eo quendã reprehendere, quod idẽ ſemper tractaret, & rogaret tantũ tolerabiliorem locũ exilij, ac de Scythię incõmodis quereretur: Atq; hęc excuſatio eſt pręcipua pars huius Epiſtolę. Ad Bruti enim Epiſtolã, cui hic reſpõdet Poeta, ſimpliciter reſpicit, nec quicquã aliud agit, & initiũ eius eſt breuis narratio ex Bruti Epiſtola ſumpta, oſtendẽs illius ſummã, ſicut fit in talibus argumentis. Poſtea cõfeſsio additur incepta ab exclamatione, in qua etiam eſt admiratio, quod cum multa alia uitia in iſtis libris ſint, unum tamen hoc reprehendatur. Et eſt inſerta collatio, uidere ſe peccata ſua & agnoſcere, alios non hoc facere, ſed laudare fœtus ſuos, etiamſi non mereantur laudem, ſicut olim laudauerit Actius quidam Poeta malus Therſiten hominẽ deformoſiſsimum: Puto enim in eo loco talem ſimilitudinem eſſe, & iſtam ſententiam. Deinde ſequitur generalis excuſatio,

ſatio, quę nata eſt ex altera, tanq; amplificatio. Confeſſus enim erat non tantum peccatum, de quo ſcripſerat, ſed pleraq; alia. Incepta eſt ea pars ab obiectione, cui reſpondetur tribus argumentis: Vnum eſt ductum ab infirmitate & languore ſeu pigritia Ouidij. quod imbecillior ſit, quàm ut poſſit laborem corrigendi ferre. Alterum à difficultate corrigendi per comparationem, tanto maiorem eſſe laborem emendandi, quanto maior ſit Homerus Ariſtarcho, qui correxit, & digeſsit Homeri poemata. Vbi ſignificat etiam obiter, ut maxime corrigere ſit laborioſius, quàm ſcribere, ſcribere tamen eſſe præſtantius, quàm corrigere. Vſurpata hic etiam eſt ſimilitudo, in qua laborem iſtũ corrigendi comparat cum freno retardante curſum equi. Alij faciunt in eo uerſu Hypallagen. Ego ſuſpicor frena in fœminino genere poſitum eſſe à Poeta, ſicut alioqui hæc uox maſculine, & fœminine uſurpata eſt. Non temere enim Ouidius tam aſperis figuris utitur, in Elegiacis præſertim materijs. Tertio excuſatur Poeta miſerijs ſuis, & malorũ acerbitate, quę mala non ſinant ipſum adhibere limam ſuis libris, & auctum hoc eſt comparatione, cui eſt incluſa quædam ſi

ue imprecatio bona, siue optatio de mitigatione & iræ Cæsaris, & loci exilij. Tandem redit ad specialem excusationem, ubi primum argumentatur à statu rerum suarum: Deinde à negligentia, & multitudine amicorum suorum: Tertio ab inutili: Postremo à qualitate, & natura materię, quam in his libris, qui reprehendebantur, tractet. Hæc pars multo est priore uehementior, & acerbior, atq; ideo minus longa etiam. Postremi duo uersus repetunt breuiter hanc excusationem sub forma petitionis.

AD BRVTVM.

Qvòd sit in his eadem sententia Brute libellis,
Carmina nescio quē carpere nostra refers.
Nil, nisi me terra fruar ut propiore, rogare,
Et quàm sim denso cinctus ab hoste loqui.
O quàm de multis uitium reprehenderis unum,
Hoc peccat solum si mea musa, bene est.
Ipse ego librorum uideo delicta meorum,
Cum sua plus iusto carmina quisq; probet.
Autor opus laudat, sic forsitan Accius olim
Thersiten facie dixerit esse bona.
Iudicium tamen hoc nostrum non decipit error,
Nec quidquid genui, protinus illud amo.

Cur igi-

Cur igitur si me uideam delinquere, peccem?
Et patiar scripto crimen inesse, rogas?
Non eadem ratio est sentire, & demere morbos,
Sensus inest cunctis, tollitur arte malum.
Sæpe aliquod uerbum cupiens mutare relinquo,
Iudicium uires destituuntq; meum.
Sæpe piget (quid enim dubitem tibi uera fateri?)
Corrigere, & longi ferre laboris onus.
Scribentem iuuat ipse fauor, minuitq; laborem,
Cumq; suo crescens pectore feruet opus.
Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho maior Homerus erat.
Sic animum lento curarum frigore lædit,
Vt cupidi cursus frena retentat equi.
Atq; ita Di mites minuant mihi Cæsaris iram,
Ossaq; pacata nostra tegantur humo.
Vt mihi conanti nonnunquam intendere curas
Fortunæ species obstat acerba meæ.
Vixq; mihi uideor, faciam quòd carmina, sanus,
Inq; feris curem corrigere ipsa Getis.
Nil tamen est scriptis magis excusabile nostris,
Quàm sensus cunctis penè quod unus inest.
Læta ferè lætus cecini, cano tristia tristis,
Conueniens operi tempus utrunq; suo est.
Quid, nisi de uitio scribam regionis amaræ?
Vtq; loco moriar commodiore precer?

Cum

Cum toties eadem dicam, uix audior ulli,
Verbaq; profectu dißimulata carent.
Et tamen hæc eadem cum sint, non scribimus ijsdē,
Vnaq; per plures ars mea tentat opem.
An ne his ut sensum lector reperiret eundem,
Vnus amicorum Brute rogandus erat?
Non fuit hoc tanti, confesso ignoscite docti,
Vilior est operis fama salute mea.
Deniq; materia, quam quis sibi finxerit, ipse
Arbitrio uariat multa poeta suo.
Musa mea est index nimium quoq; uera malorum,
Atq; incorrupti pondera testis habet.
Non liber ut fieret, sed uti sua cuiq; daretur
Littera, propositum, curaq; nostra fuit.
Post modo collectas utcunq; sine ordine iunxi,
Hoc opus electum ne mihi fortè putes.
Da ueniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas, officiumq; fuit.

Argumen-

ARGVMENTA ELEGIARVM LIBRI QVARTI Ouidij De Ponto.

AD ELEGIAM PRIMAM AD Sextum Pompeium.

IN primis duobus uersibus huius Epistolæ petit Ouidius à Pompeio, ut accipiat eius hoc carmen, & simul capiat beneuolentiam, cum dicit eius beneficio se uiuere. Postea subiungit occupationē per dilemma quoddam, bene est, siue nomē tuum uelis à me poni in his libris, siue non uelis poni: si uis poni, gratum est hoc mihi: si non uis poni, habeo excusationem. atq; sic nascitur ex ista occupatione præcipuus in hac Elegia locus, excusatio, in qua utitur argumento à gratitudine, hoc se facere testificandæ gratitudinis suæ caussa, & petitione. Rogat enim Pompeium, ne huius officij durus sit interpres. Item utitur amplificatione à circumstantia temporis, & errore quodam, quòd non citius hoc fecerit, se

rit, se uideri sibi grauiter peccasse, & sæpe alijs uolenti scribere ipsius nomen in tabulam sibi incidisse: Repetit etiam argumentũ à gratitudine, & petitionem de exponendo officio, ac prædicat Pompei in se beneficia. In fine diluit obiectionem de causa fiduciæ, seu spei, quam in Pompeio habeat, quod etiam in posterũ ei sit benefacturus. Quamq̃ autem nusq̃ dixerat planis uerbis de tali fiducia, tamen ex libertate præcedentiũ uersuum tale aliquid colligi potuit. Argumentatur autem ab officio, seu affectu artificum erga sua opera per integrum syllogismum nihil mutatis partibus, non tamen omnino puerili forma, in hunc modum: Omnis artifex defendit suum opus, Ego sum tuũ opus, Ergo debes me defendere. Maiorem dilatauit recitatis aliquot exẽplis artificum. Vocat autẽ se opus Pompei metaphorice, & ad modũ argute, quod sicut statua est opus statuarij, & imago pictoris, ita Pompeij liberalitatis, & humanitatis uelut opus quoddam fuit Ouidius, quãdo ab eo seruatus, & defensus fuit. Sunt enim ars, & uirtus duo diuersi habitus, & uirtutis effectus non proprie dicitur opus, sed actio, artis autem effectus hãc adpellationem habet propriam.

Publij

PVBLII OVIDII NASONIS DE Ponto Liber Quartus.

AD SEXTVM POMPEIVM.

Accipe Pompei deductum carmen ab illo, (suæ,
Debitor est uitæ qui tibi Sexte
Qui seu nō prohibes à me tua nomi
Accedet meritis hæc quoq; summa tuis. (na poni
Siue trahis uultus, equidem peccasse fatebor,
Delicti tamen est causa probanda mei.
Non potuit mea mens, esset quid grata, teneri,
Sis precor officio non grauis ipse pio.
O quoties ego sum libris mihi uisus in istis
Impius, in nullo quod legerere loco.
O quoties, alijs uellem cum scribere, nomen
Rettulit in ceras inscia dextra tuum.
Ipse quidem placuit mendis in talibus error,
Et uix inuita est facta litura manu.
Viderit ad summam dixi licet ipse queratur,
Ah pudet offensam non meruisse prius.
Da mihi, si quid ea est hebetantem pectora lethen,
Oblitus potero non tamen esse tui.
Idq; sinas oro, nec fastidita repellas
Verba, nec officio crimen inesse putes.

Et le

Et leuis hæc meritis referatur gratia tantis,
Si minus, inuito te quoq; gratus ero.
Nunquam pigra fuit nostris tua gratia rebus,
Nec mihi munificas arca negauit opes.
Nunc quoq; nil subitis clementia territa fatis
Auxilium uitæ fertq;, refertq; meæ.
Vnde rogas forsan fiducia tanta futuri
Sit mihi, quod fixit quisq; tuetur opus.
Vt Venus artificis labor est & gloria Coi,
Aequoreo madidas quæ premit imbre comas.
Arcis ut Actææ uel eburna, uel ærea custos
Bellica Phidiaca stat dea facta manu.
Vendicat ut Calais laudem, quos fecit, equorum,
Vt similis ueræ uacca Myronis opus,
Sic ego sum rerum non ultima Sexte tuarum,
Tutelæq; feror munus opusq; tuæ.

AD ELEGIAM SECVNDAM ad Seuerum.

CONtinet hæc etiam Epistola excusationem, & quidem iste locus est præcipuus. Est autem exorsus Poeta à circumstantia loci, cum dicit ex Getica terra usq; hanc Epistolam Seuero missam esse, atq; sic mouet Seuerum siue ad misericordiam, siue ad beneuolentiã: Natura enim bene affecti sumus

ſumus erga miſeros, etiamſi pœnam pecca ti luant. Poſtea ſequitur excuſatio, ubi duo bus ferè argumentis oſtendit Ouidius non ſe peccaſſe admodum, quod non prius Seue ro uerſus miſerit. Primum eſt à copia, ſeu fa cultate quadam uerſuum ſumptum, quod ipſe poſsit egregios uerſus facere, & illis ab- undet antea, & eſt amplificatum expoſitio- ne, per imperfectas ſimilitudines, hoc eſſet noctuas Athenas, ut multa paucis comple- ctar. Secundum argumentum eſt acceptum ab ingenij debilitate cum ſimilitudine. Vt autem clariſsime hoc explicaret, adiecit oc- cupationem, qua per exemplum Homeri ex maiore non tamen quatenus ſit factum, ſed quatenus fieri oportuiſſet, ſi ille in eodẽ loco fuiſſet. Transfert culpam huius debilita tis in neceſsitatem quandam, ſeu regionem. Præterea ueniam petit, atq; ſic concludit hoc argumentum, cum alio argumento à conſequentibus, ſiue explicatione uberiore ſecundi argumenti: Poëticam uim, & ardo rem in ſe extinctum eſſe, & non niſi inuitum ad ſcribendum uenire, nec quicq; boni poſ- ſe componere. Addit poſtea alias eiuſdem rei cauſas & uiciniores, Se nullam ex hoc ſtu dio conſecutum utilitatem, & nullos eſſe,

 quibus

quibus recitet ſua ſcripta, & à quibus incen dat. Solere em̄ auditores, & laudes calcar ad dere uirtuti & ſtudio, atq; augere iſta. Ita poſterior cauſa eſt confirmata hac generali ſententia, cui affine eſt, quod Cicero alicubi dicit: Honos alit artes. τῆς ἀρετῆς γὰρ ἆθλον ἡ τιμή, καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς, ut inquit Ariſtoteles. Hic potuiſſet quærere Seuerus: Quare ergo non in uniuerſum abijcis hoc ſtudium? Ad eam obiectionem reſpōdet Poēta: Vt fallam tędium temporis, cum aliud nihil ſit, quo honeſte id faciam. Copioſius eſt idem locus tractatus ſupra in Elegia ſexta primi libri. Poſtremo Seuerum hortatur ad componenda poemata, ut cui tutius hoc ſit facere, & fructuoſius. Iubetq́; mittere ſibi aliquod nouum opus. Hęc ſunt loco Epilogi addita.

AD SEVERVM.

Quod legis ô Vates magnorū maxime Vatū
Venit ab intonſis uſq; ſeuere Getis.
Cuius adhuc nomen noſtros tacuiſſe libellos,
Si modo permittis dicere uera, pudet.
Orba tamen numeris ceſſauit epiſtola nunquam
Ire per alternas officioſa uices.

Carmina sola tibi memorem testantia curam
Non data sunt, quid enim, quæ facis ipse, darē?
Quis mel Aristæo, quis Baccho uina Phalerna,
Triptolemo fruges, poma dat Alcinoo?
Fertile pectus habes, interq; Helicona colentes
Vberius nulli prouenit ista seges.
Mittere ad hunc carmē, frondes erat addere syluis,
Hæc mihi cunctanti causa Seuere fuit.
Nec tamen ingenium nobis respondet, ut ante,
Seu siccum sterili uomere littus aro.
Scilicet ut limus uenas excæcat in undis,
Læsaq; suppresso fonte resistit aqua,
Pectora sic mea sunt limo uitiata malorum,
Et carmen uena pauperiore fluit.
Siquis in hac ipsum terra posuisset Homerum,
Esset, crede mihi, factus & ille Getes.
Da ueniam fasso, studijs quoq; frena remisi,
Ducitur & digitis littera rara meis.
Impetus ille sacer, qui Vatum pectora nutrit,
Qui prius in nobis esse solebat, abest.
Vix uenit in partes, uix sumptæ Musa tabellæ
Imponit pigras penè coacta manus.
Paruaq;, ne dicam scribendi nulla uoluntas
Est mihi, nec numeris nectere uerba iuuat.
Siue quod hinc fructus adeo non cepimus ullos,
Principium nostri res fuit ista mali.

Siue quod in tenebris numerosos ponere gestus,
Quodq; legas nulli, scribere carmen obest.
Excitat auditor studium, laudataq; uirtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.
Hic mea cui recitem, nisi flauis scripta corallis,
Quasq; alias gentes barbarus Ister habet?
Sed quid solus agam? quaq; infoelicia perdam
Ocia materia, surripiamq; diem?
Nam neq; me uinum, nec me tenet alea fallax,
Per quæ clam tacitum tempus abire solet.
Nec me, quod cuperem, si per fera bella liceret
Oblectat cultu terra nouata suo.
Quid, nisi Pierides solatia frigida restant,
Non bene de nobis quæ meruere deæ?
At tu cui bibitur fœlicius Aonius fons,
Vtiliter studium, quod tibi cedit, ama.
Sacraq; musarum merito cole, quodq; legamus
Huc aliquid curæ mitte recentis opus.

AD ELEGIAM TERTIAM.

PErfidiæ quendam hic, & leuitatis accusat Ouidius, quòd in calamitate amici prodat, aut deserat amicitiam. Est autē initio sic satis uehemens, & acerbus, postea tamen fit mitior paulatim, & tandem ad amicam, & familiarem admonitionem descen-

dit, qui locus, ut est ualde humanus, ita uehementer quoque dulcis est & gratus. Atque ita sunt duę partes huius Elegiæ, querela, & admonitio. Querela habet initio propositionem figuratam quæstionibus, seu interrogationibus, quarum posterior est circumstantia, non proprie ad propositionem pertinens, & habet subiectionem. Tota autem illa pars nihil aliud est, nisi quędam expositio illius perfidiæ amici, & leuitatis, ac consistit in quinque argumentis ferè: quatenus enim est querela, uim argumentorum habent partes illius expositionis. Primum est sumptum à non seruata fide per antithesin, quod infœlicē deserat, cum fœlici inter primos fuerit. Alterū à mēdacio, quod ne quidem uelit scire, quis sit Ouidius. Tertium ab initijs, & diuturnitate amicitiæ, quod à puero inceperit amicitia, & unà cum ætate accreuerit. Quartum à neglectu leuissimi officij, nullas etiam literas cum ipsi scribere. Quintū ab inimici affectu, & natura, quod illudat etiam calamitoso. Ita crescit oratio, & tanque gradibus ad summum ascendit. Ac potest hic locus esse exemplum illius generis amplificationis. Minus enim quiddam est non iuuare amicum, quàm non uelle eti-

am eum nosse, & hęc ambo leuiora sunt, quàm lædere quoque, aut eius malis insultare, quod est inhumanissimum, cum extra amicitiam hoc sit inhumanum, sicut eleganter Cicero pro Rabirio docet, cum ait: Satis est homines imprudentia lapsos non erigere, urgere uero iacentes, aut præcipitanter impellere, certe inhumanum est. Et adeo hoc est uerũ, ut obiurgatio quoque crudelis sit in re aduersa, ut ille inquit. Inter tertium argumentum, & quartum est occupatio posita per elegans dilemma: Siue amasti me uere, siue nõ uere, turpiter facis. Dissimulare enim non est uiri boni, non tantum nõ seruare fidem. His adiecta est remissa quędam, & humanior admonitio, quæ admodum est suauis, cum per se, addita loco tam acerbo, tũ propter locum communem de fortunæ inconstantia, quo est amplificata, & egregie illustrata. Admonet autem eum partim, quod cum ipso aliquando, si incidat in similem fortunam, alij sint acturi eodem modo, sicut inquit eleganter Publius: Ab alio expectes, alteri quod feceris. Partim quòd possit hoc fieri, cum summis uiris non pepercerit fortuna. Atque ibi utitur aliquot insignibus exemplis. Argumentatur etiam à suo exemplo

emplo, & postea concludit simul hanc posteriorem partem, & totam Epistolam.

In amicitiam dissimulantem.

Conquerar? an taceã? ponã sine nomie crimẽ?
An notum quis sis omnibus esse uelim?
Nomine non utar, ne commendere querela,
Quæraturq; tibi nomine fama meo.
Dum mea puppis erat ualida fundata carina,
Qui mecum uelles currere primus eras.
Nunc, quia contraxit uultum fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.
Dißimulas etiam, nec me uis nosse uideri,
Quisq; sit audito nomine Naso rogas.
Ille ego sum, quanquam non uis audire, uetusta
Penè puer puero iunctus amicitia.
Ille ego qui primus tua seria nosse solebam,
Qui tibi iucundis primus adesse iocis.
Ille ego conuictor, densoq; domesticus usu,
Ille ego iudicijs unica musa tuis.
Ille ego sum, qui nunc an uiuam, perfide nescis,
Cura tibi de quo quærere nulla fuit.
Siue fui nunquam carus, simulasse fateris,
Seu non fingebas, inueniêre leuis.
Aut age dic aliquam, quæ te mutauerit iram.
Nam nisi iusta tua est, iusta querela mea est.

Quod te nunc crimen similem uetat esse priori?
An crimen, cœpi quod miser esse, uocas?
Si mihi rebus opem nullam factisq; ferebas,
Venisset uerbis charta notata tribus.
Vix equidem credo, sed & insultare iacenti
Te mihi, nec uerbis parcere, fama refert.
Quid facis ah demens? cur si fortuna recedat,
Naufragio lachrymas eripis ipse tuo?
Hæc dea non stabili quàm sit leuis orbe fatetur,
Quæ summum dubio sub pede semper habet.
Quolibet est folio, & quauis incertior aura,
Par illi leuitas improbe facta tua est.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ ualuêre ruunt.
Diuitis audita est cui non opulentia Crœsi?
Nempe tamen uitam captus ab hoste tulit.
Ille Syracusia modo formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.
Quid fuerat Magno maius? tamen ipse rogauit
Summissa fugiens uoce clientis opem.
Cuiq; uiro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipse magis.
Ille Iugurthino clarus Cymbroq; triumpho,
Quo uictrix toties consule Roma fuit.
In cœno Marius iacuit, Cannaq; palustri,
Pertulit & tanto multa pudenda uiro.

Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præsens uix habet hora fidem.
Littus ad Euxinum si quis mihi diceret, ibis,
Et metues arcu ne feriare Getæ,
I, bibe dixissem purgantes pectora succos,
Quidquid & in tota nascitur Anticyra.
Sum tamen hæc passus, nec si mortalia possem,
Et summi poteram tela cauere Dei.
Tu quoq; fac timeas, & quæ tibi læta uidentur,
Dum loqueris fieri tristia posse puta.

AD ELEGIAM QVARTAM AD *Sextum Pompeium.*

AD Sextum Pompeium consulem quẽdam designatum ex Pompeiorum familia scripta est hæc Epistola, proximo anno ante obitum Augusti Cæsaris. Suetonius enim scribit Augustum esse mortuum Sexto Pompeio, & Sexto Apuleio Coss. Non autem fuit hic Pompeius magni Pompeij filius, qui iam pridem in Asia perierat à Cæsarianis interfectus. Gratulatur illi Ouidius hanc dignitatem, & honorem, nõua quadam ratione coniungens suam calamitatem cum gaudio de illius dignitate concepto, aut potius effectum quendam illius gaudij cum ipso gaudio, & eo, quod efficit

gaudium,hoc modo,gaudium, quod accepi ex tuo honore depulit meam tristitiam, & leniјt meum exiliū. Est enim honor Pompeij efficiēs gaudij,gaudium uero exilij mitigatio, aut etiam ipse honor, per accidens tamen, ut loquuntur, nec sunt in hoc loco gaudium, & tristitia contraria, propter diuersos respectus. Gaudium enim ex Pompeio fuit, tristitia non ex Pompeio, sed ex Ouidio. Sed omitto hanc tenuitatem, & ad dam reliqua. Prçter gratulationem, quç est principalis pars, sunt hic etiam exordium, narratio, descriptio consularis pompæ futuræ & petitio. Exordium uersatur in generali sententia figurata expolitione, nullam tantam esse calamitatem, quæ non remissior fiat, & aliqua lætitia temperetur aliquando. Quod non tantum uerum est, sed etiam necessarium. Nemo enim diu posset ferre continuos dolores, perpetuam tristitiam, et nunq̃ desinentem sollicitudinē. Ac ita sanè per totam uitam alioqui nobiscum agit natura, ut misceat non tantum mala bonis, sed bona etiā malis. Id quod elegantissime hoc uersiculo Hesiodus docet: ἄλλοτε μητρυίη πέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήτηρ. Et Horatius: Nō, si male nunc, & olim sic erit &c. Huic generali

nerali ſententiæ adiunctum eſt ſpeciale dictum ab ipſius perſona ſumptum, uelut illius probatio, cui etiam incluſa eſt pars gratulationis: Exuli mihi, & miſerrimo contigit, ut gauderem. Deinde dicit à fama ſibi nunciatum eſſe, quòd Pompeius ſit deſignatus conſul, & facit ex fama uolucrem mira ſuauitate per proſopopœiam: Atq; hæc eſt narratio. Hanc ſequitur deſcriptio futuræ Conſularis pompæ, quæ inchoata eſt à deſcriptione temporis, quo conſules magiſtratum ineunt, & habet in fine πάθος. In poſtremis quatuor uerſibus eſt petitio, obliqua tamen, & tractata per uotũ, cum argumẽto ab effectu eius, quod petitur. Petit autẽ Ouidius, ut Põpeius memoriã ipſius retineat, id ſi fiat, exiliũ ſibi fore tolerabilius.

AD SEXTVM POMPEIVM.

NVlla dies adeo eſt auſtralibus humida nimbis,
Non intermiſsis ut fluat imber aquis.
Nec ſterilis locus ullus ita eſt, ut non ſit in illo
Miſta ferè duris utilis herba rubis.
Nil adeo fortuna grauis miſerabile fecit,
Vt minuant nulla gaudia parte malum.
Ecce domo patriaq; carens oculiſq; meorum
Naufragus in Getici littoris actus aquis,

Quæ

Qua tamen inueni uultum diffundere causa
Poßim, & fortunæ nec meminiſſe meæ.
Nam mihi cum fulua triſtis ſpaciarer arena,
Viſa eſt à tergo penna dediſſe ſonum.
Reſpicio, nec corpus erat, quod cernere poſſem,
Verba tamen ſunt hæc aure recepta mea:
En ego lætarum uenio tibi nuncia rerum,
Fama per immenſas aëre lapſa uias.
Conſule Pompeio, quo non tibi carior alter,
Candidus & fœlix proximus annus erit.
Dixit, & ut læto Pontum rumore repleuit,
Ad gentes alias hinc dea uertit iter.
At mihi dilapſis inter noua gaudia curis,
Excidit aſperitas huius iniqua loci.
Ergo ubi Iane biceps longum reſeraueris annum,
Pulſus & à ſacro menſe December erit.
Purpura Pompeium ſummi uelabit honoris,
Ne titulis quidquam debeat ille ſuis.
Cernere iam uideor rumpi penè atria turba,
Et populum lædi deficiente loco.
Templaq; Tarpeiæ primum tibi ſedis adiri,
Et fieri faciles in tua uota deos.
Colla boues niueos certæ præbere ſecuri,
Quos aluit campis herba Phaliſca ſuis.
Cumq; deos omnes, tum quos impenſius æquos
Eſſe tibi cupias, cum Ioue Cæſar erit.

Curia te excipiet, patresq́; ex more uocati
Intendent aures ad tua uerba suas.
Hos ubi facundo tua uox hilarauerit ore,
Vtq; solet, tulerit prospera uerba dies,
Egeris & meritas superis cum Cæsare grates,
Qui causam, facias cur ita sæpe, dabit,
Inde domum repetes toto comitante senatu,
Officium populi uix capiente domo.
Me miserum, turba quod non ego cernor in illa,
Nec possunt istis lumina nostra frui.
Qua licet absentem, qua possum mente uidebo,
Aspiciet uultus consulis illa sui.
Di faciant, aliquo subeat tibi tempore nostrum
Nomen, & heu dicas quid miser ille facit?
Hæc tua protulerit si quis mihi uerba, fatebor
Protinus exilium mitius esse meum.

AD QVINTAM ELEGIAM AD *Pompeium Consulem.*

PLanum, ac simplex est argumentum huius Elegiæ. Tantum enim expositionem continet mandati, quod Poëta suis carminibus, seu tabulis ad Pompeium dedit nunc consulem. Hoc autem factum est prorsus poëtice, et per prosopopœiam, qua figura etiam in prçcedente Epistola est usus.

Similia

Similia poemata extant apud alios quoq; poëtas, ut hoc apud Catullum: Poëtæ tenero meo sodali Velim Cæcilio papyre dicas. Et hoc apud Martialem: Vnde salutatū pro me liber ire iuberis &c. Itē ubi per Musam librum suum mittit ad Plinium: Nec doctū satis, & parum seuerum. Et alia multa in eodem Poëta. Sunt etiam in Ouidio alibi similia, ut in tertio libro Tristium: Vade salutatum &c. Et in amoribus dat annulo mādatum ad amicum. Atq; hæ prosopopœię in tota poëmata sunt sparsa, propterea sunt etiam pleniores, & liberiores, quàm aliæ, quę partem tantum poëmatum tenent, cuiusmodi multę in poëtis occurrūt, aliquando etiam apud Oratores inueniuntur: Mirifice enim commendant, & gratam reddūt orationem. Iubet autem Ouidius librum suum ad Pompeium proficisci, & ei declarare pro summis in eum beneficijs gratitudinem suam, peterecq; ut non desinat defendere, quē semel defendendum susceperit. Hæc est mandati summa, sed auctum est quibusdam alijs descriptionibus, & circumstantijs cū sit mentio uiæ, temporis, intra quod Romam uenire possint. Item ædes Pompeij monstrātur, & obiter aliud mandatum inseritur

ſeritur, ne cui alij præter Pompeium dicant, unde aduenIant, de'q laboribus, & officijs Pompeij per diſtributionem &c. Et hæc circumſtantia eſt interpoſita propter Pompeij laudes. In principio eſt etiam elegans iocus ab imparitate pedum huius carminis ſumptus.

AD POMPEIVM CONſulem.

ITe leues elegi doctas ad conſulis aures,
Verbaq; honorato ferte legenda uiro.
Longa uia eſt, nec uos pedibus proceditis æquis,
Te ctaq; brumali ſub niue terra latet.
Cum gelidam Thracen, & opertũ nubibus Aemõ,
Et maris Ionij tranſieritis aquas,
Luce minus decima dominam uenietis in urbem,
Vt feſtinatum non faciatis iter.
Protinus inde domus uobis Pompeia petatur,
Non eſt Auguſto iunctior ulla foro.
Si quis, ut in populo, qui ſitis, & unde requirat,
Nomina decepta quælibet aure ferat.
Vt ſit enim tutum, ſicut reor eſſe, fateri,
Verba minus certe ficta timoris habent.
Copia nec uobis ullo prohibente uidendi
Conſulis, ut limen contigeritis erit.

Aut reget ille suos dicendo iura Quirites,
Conspicuum signis cum premet altus ebur,
Aut populi reditus positam componet ad hastam,
Et minui magnæ non sinet urbis opes,
Aut, ut erunt patres in Iulia templa uocati,
De tanto dignis consule rebus aget.
Aut feret Augusto solitam natoq; salutem,
Deq; parum noto consulet officio.
Tempus ab his uacuum Cæsar Germanicus omne
Auferet, à magnis hunc colit ille deis.
Cum tamen à turba rerum requieuerit harum,
Ad uos mansuetas porriget ille manus.
Quidq; parens ego uester agam fortasse requiret,
Talia uos illi reddere uerba uelim:
Viuit adhuc, uitamq; tibi debere fatetur,
Quod prius à miti Cæsare munus habet.
Te sibi, cum fugeret, memori solet ore referre,
Barbariæ tutas exhibuisse uias.
Sanguine Bistonium quod non tepefecerit ensem,
Effectum cura pectoris esse sui.
Addita præterea uitæ quoq; multa tuendæ
Munera, ne proprias attenuaret opes.
Pro quibus ut meritis referatur gratia, iurat,
Se fore mancipium tempus in omne tuum.
Nam prius umbrosa carituros arbore montes,
Et freta ueliuolas non habitura rates,

Flumi-

Fluminaq; in fontes cursu reditura supino,
Gratia quàm meriti poßit abire tui.
Hæc tibi dixeritis, seruet sua dona, rogate,
Si fuerit uestræ causa peracta uiæ.

AD ELEGIAM SEXTAM ad Brutum.

TRiplex querela est in hac Epistola, & gratiarum actio coniuncta cum quibusdam laudibus Bruti. Queritur autem Poeta post imperfectam, & patheticam salutationem, unde incipit Epistolam primo de longinquitate temporis exilij sui, & fortunæ aduersæ pertinacia, postea de obitu Maximi, ad quem extant in superioribus libris aliquot Elegiæ scriptæ. Et est figurata hæc querela per Apostrophen, ultimo de morte Augusti, illum ideo sibi ereptum dolet, quòd fuerat pro se deprecaturus Augustum, hunc, quòd iam inceperit ipsi ueniam dare, ubi significat nec plene illum ignouisse, & magnam spem tamen fuisse, breui fore, ut plene ignosceret, & eum restitueret. Ita in ambobus, Maximo & Augusto magnam spem reditus in patriam amisit Ouidius. Et quia in fine querelarũ dixerat se in Vrbem misisse carmen in honorem Augusti

mortui compositum, commodũ addit uotum & optat sibi profuturũ esse hoc pietatis officiũ apud heredes Augusti, idemq́; secum optare Brutũ. Atq; sic aptissime & mollissime annectit laudationem Bruti querelis. Laudat autem eum à constantia, & fide, quod eum plus etiam amauerit in aduersis rebus, quàm antea fecerit, quanq́; antea quoq; uere amauerit. Item ab ingenij tum seueritate erga sontes et malos eum seuerissimum esse, erga innoxios, & bonos mitissimum, & hoc in agendis causis. Subostendit enim, quòd fuerit hic Brutus Orator, & actor causarum, quod autem sit lenis, & mansuetus suo id exemplo se scire. Et interpositũ est pathos, ab alijs omnibus amicis suis se desertũ esse. Tandem gratias agit ob tanta illius beneficia, idq; facit per antithesin, & adynaton, Falsorum amicorum, se im memorẽ fore: Prius autẽ quàm ipsius, & aliorum uerorũ amicorũ obliuiscatᷣ, Danubium refluxurũ ex mari ad suos fines, et solem recursurũ ad orientem, utrumq; cõtra naturalẽ suum cursum. Porro temporũ obseruatores scribunt Augustũ esse mortuũ Olympiade septingesima sexagesima sexta, qui fuit annus decimus sextus à Christo nato.

Ad Bru-

AD BRVTVM.

QVam legis ex illis tibi uenit Epistola Brute,
Nasonem nolles in quibus esse locis.
Sed quod tu nolles, uoluit miserabile fatum,
Hei mihi plus illud, quàm tua uota ualet.
In Scythia nobis quinquennis olympias acta est,
Iam tempus lustri transit in alterius.
Perstat enim fortuna tenax, uetusq; malignum
Opponit uotis inuidiosa pedem.
Certus eras pro me Fabiæ laus Maxime gentis
Numen ad Augustum supplice uoce loqui.
Occidis ante preces, causamq; ego Maxime mortis
Non fueram tanti, me reor esse tuæ.
Iam timeo nostram cuiquam mandare salutem,
Ipsum morte tua concidit auxilium.
Cœperat Augustus deceptæ ignoscere culpæ,
Spem nostram terras deseruitq; simul.
Quale tamen potui de cœlite Brute recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.
Quæ prosit pietas utinam mihi, sitq; malorum
Iam modus, & sacræ mitior ira domus.
Te quoq; idem liquido possum iurare precari
O mihi non dubia cognite Brute nota.
Nam cum præstiteris uerum mihi semper amorem,
Hic tamen aduerso tempore creuit amor.

Quiq; tuas pariter lachrymas nostrasq́; uideret
Paßuros pœnam crederet esse duos.
Lenem te miseris genuit natura, nec ulli
Mitius ingenium, quàm tibi, Brute dedit.
Vt quidquid ualeas ignoret Marte forensi,
Posse tuo peragi uix putet ore reos.
Scilicet eiusdem est, quamuis pugnare uidetur,
Supplicibus facilem, sontibus esse trucem.
Cum tibi suscepta est legis uindicta seueræ,
Verba uelut tinctum singula uirus habent.
Hostibus eueniat quàm sis uiolentus in armis
Sentire, & linguæ tela subire tuæ,
Quæ tibi tam tenui cura limantur, ut omnes
Istius ingenium corporis esse negent.
At si quem lædi fortuna cernis iniqua,
Mollior est animo fœmina nulla tuo.
Hoc ego præcipue sensi, cum magna meorum
Noticiam pars est inficiata mei.
Immemor illorum, uestri non immemor unquam,
Qui mala sollicite nostra leuatis, ero.
Et prius hinc nobis nimium conterminus Ister
In caput Euxino de mare uertet iter,
Vtq́;, Thyesteæ redeant si tempora mensæ,
Solis ad Eoas currus agetur aquas,
Quàm quisquam uestrũ, qui me doluistis ademptum,
Arguat ingratum non meminisse sui.

Ad Elo-

AD ELEGIAM SEPTIMAM ad Vestalem.

DE hoc Vestali, ad quem hæc Epistola est scripta, nihil, puto, est in historijs. Ouidius hic significat eum fuisse alicuius alpestris Reguli filium, et cum Vitellio quodam præfecto, aut duce Romanorum ad Pontum gessisse bellum contra Getas pro rege Thraciæ, Populi Romani socio, magnamq́ fortitudinē præstitisse in oppugnatione Aegypsi oppidi, cuius fit etiam mentio in primi libri nona Elegia, adeo, ut eius exemplo incitatis militibus reliquis oppidum captum sit. Atq; ita bona pars Epistolæ uersatur in laudibus Vestalis, & illius eius tam fortis facti. Comparat eum quoq; cum Aiace, quod quanto animo Aiax sustinuerit Hectorem incensurum naues Græcorum, quod in 15. libri Iliados scribitur, tanto ipse in illa oppugnatione sustinuerit impetum hostium. In principio Elegię per aliquot uersus conqueritur de incommodis Scythiæ, sed tacite, ac noua quadam ratione, ac forma. Nam uelut testem superiorum querelarum de hac re producens Vestalem, dicit ei notum esse quanta sit eius

loci asperitas, & crudelitas incolarum, cum ipse nunc eò uenerit, & coram hoc ita esse aspiciat. In cuius partis fine, quia dixerat Scythas sua tela ueneno tingere, uotum est additum, ubi optat, ut tantum uidisset talia tela mitti à Scythis, non etiam in suo corpore sensisset. Postea statim sequitur illa Vestalis laudatio, altera pars Epistolę, quæ incepta est à mentione dignitatis primi pili ad quam dicit eum ascendisse per uirtutem, non tamen eum delectari tam hoc honore, quàm uirtute ipsa, quæ magna laus est, & uere philosophica, sicut illa etiam, quæ sequitur, quòd uulnerato quoq; non fractus sit animus ex dolore. Hæc pars ad demonstratiuum genus pertinet, prior ad deliberatiuum. Præterea non displicet mihi, quòd interpres censet legendum esse in octauo uersu Iacyx pro Iacis, quanq; Iacij etiam populi Scythiæ fuerunt sed remotiores à Ponto, quàm Iacides. De Iacijs est apud Plinium libro 6. capite 10. qui usus est uocabulo in secunda declinatione, cum hic sit tertię. Est etiam hic uersus ita meo iudicio legẽdus: Sensit in ingenio nil opis esse loci. alioqui dura est admodum, & inepta sententia.

Ad Vesta-

AD VESTALEM.

Missus es Euxinas quoniam Vestalis ad oras,
Vt positis reddas iura sub axe locis.
Aspicis en præsens quali iaceamus in aruo,
Nec me testis eris falsa solêre queri.
Accedet uoci nostræ non irrita per te
Alpinis iuuenis regibus orte fides.
Ipse uides certe glacie concrescere Pontum,
Ipse uides gelido stantia uina gelu.
Ipse uides onerata ferox ut ducat Iacis
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.
Aspicis & mitti sub adunco toxica ferro,
Et telum causas mortis habere duas.
Atq; utinam pars hæc tantum spectata fuisset,
Non etiam proprio cognita Marte tibi.
Tenditis ad primum per densa pericula pilum,
Contigit ex merito qui tibi nuper honor.
Sit licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens,
Ipsa tamen uirtus ordine maior erit.
Non negat hoc Ister, cuius tua dextera quondam
Puniceam Getico sanguine fecit aquam.
Non negat Aegypsos, quæ te subeunte recepta
Sensit in ingenio nil opus esse loci.
Nam dubium est, positu melius defensa, manuue,
Vrbs erat in summo nubibus æqua iugo.

Sithonio regi ferus interceperat illam
Hostis, & ereptas uictor habebat opes,
Donec fluminea deuecta Vitellius unda
Intulit exposito milite signa Getis.
At tibi progenies alti fortissima Domni,
Venit in aduersos impetus ire uiros.
Nec mora, conspicuus longe fulgentibus armis
Fortia ne ne possint facta latere, caues.
Ingentiq; gradu contra ferrumq;, locumq;
Saxaq; brumali grandine plura subis.
Nec te missa super iaculorum turba moratur,
Nec quæ uipereo tela cruore madent.
Spicula cum pictis hærent in casside pennis,
Parsq; ferè scuti uulnere nulla uacat.
Nec corpus cunctos fœliciter effugit ictus,
Sed minor est acri laudis amore dolor.
Talis apud Troiam Danais pro nauibus Aiax
Dicitur Hectoreas sustinuisse faces,
Vt propius uentum est, admotaq; dextera dextræ,
Resq; fero potuit comminus ense geri,
Dicere difficile est quid Mars tuus egerit illic,
Quotq; neci dederis, quosq;, quibusq; modis.
Ense tuo factos calcabas uictor aceruos,
Impositoq; Getes sub pede multus erat.
Pugnat ad exemplum primi minor ordine pili,
Multaq; fert miles uulnera, multa facit.

Sed tan-

Sed tantum uirtus alios tua præterit omnes,
Ante citos quantum Pegasus ibat equos.
Vincitur Aegypsos, testataq; tempus in omne
Sunt tua uestalis carmine facta meo.

AD ELEGIAM OCTAVAM *ad Suillium.*

QVatuor sunt huius Epistolæ partes, narratio, gratiarum actio, duę petitiones. In narratione repetit breuiter summam Epistolæ, quam Suillius Ouidio miserat. Huic est addita gratiarum actio pro beneuolentia, & studio illius. Deinde sequitur prior petitio, seu adhortatio. Ibi enim Poëta siue petit à Suillio, siue adhortatur eum, ut sic pergat ei bene uelle, utiturq; ad eam rem quinq; argumentis. Primum est tractū ab affinitate: Fuit enim, ut hic significatur, Suillij uxor, Ouidij priuigna. Ad hoc argumentum est annexa occupatio pathetica: Metuo ne pudeat te meæ affinitatis, quod tamen ut facias non est causa. & sic apte attexitur secundum argumentum ductum à moribus: Præter hunc meum errorē nihil est labis in mea uita, aut moribus. Postea repetita est petitio, & adiectum ei quartum ar-

gumentum à facili: Cęſar Germanicus faci lis eſt, & clemens, neminem patitur fruſtra ipſum colere, aut rogare. Sed ibi uſus eſt uſi tata ſua figura, faciens ex Cæſare deum. De inde in quinto argumento facultate, & po tentia Cęſaris inuitat eum ad hoc faciendũ. Sequitur ſecunda petitio ad Germanicum, & illa eſt incepta ab argumento à gratitudi ne poëtę per antitheſin. Pollicetur Cęſari Oui dius ſe celebraturum ipſius nomen, & res ge ſtas, non templis ſed carmine. Eſt ibi etiam inſerta Antipophora, Exiguum quidem eſſe hoc munus, & nequaquam par tanto bene ficio, ſed beneficia non ex ſeſe, uerum ex ani mo, unde proficiſcuntur, debere æſtimari. Sicut ſolet apud Grecos dici: ξενίων δὲ θυμὸς ἄριστος. Hoc generale dictũ expolitũ duobus ſpecialibus dictis idem ſignificanti bus. Illis proxime adhæret inſignis locus cõmunis de laudibus poematum, & hoc en comium eſt copioſa quædam probatio prę cedentis argumenti à gratitudine, & eſt am plificatum collatione, & exemplis: Non conſumi carmina uetuſtate, cum aliæ res omnes, etiam duriſsimæ, ut ferrum, ac la pides, conſumantur, & res geſtas ad Troi am, ad Thebas, principes utriuſque belli,

naturę

naturę rerum originem, bellum gygantum, Bacchi, et Augusti facta celebrata esse, et memoriam eorũ conseruari carmine. Similis prorsus locus est apud Horatium in quarti libri carminum Oda, quæ sic incipit: Donarem pateras, grataq; commodis &c. Post conclusionem huius loci argumentatur etiam ab ingenio, facultate componendi uersus, qua fuit ille princeps, ut supra ostendimus, præditus, & iudicio, & simul indicat, quę necessitas eũ à studio poetices abduxerit. Ita ibi simul generis nobilitatẽ, et fortunę amplitudinẽ, sed ualde breuiter laudat, non tamẽ omnino eũ studiũ hoc abiecisse, uerũ aliquando poemata facere, ac cõparat eum cũ Apolline, quòd simul & bellis operam, & Musis impendat. Sub finem repetit petitionẽ, & explicat clarius quid uelit, ut tã tum ex tam barbara terra in mitiorem, & uiciniorẽ Italię trãsferat. Et obiter adijcit argumenũ à facilitate celebrãdi res gestas Germanici. In ultimis duobus uersibus repetitur etiã prior pars, et tanq; cũ illa posteriore cõiungitur sic, ut non tam uideatur petijsse aliquid à Germanico, q; Suillio formã petẽti illud ab eo pręscripsisse, quanq; alioqui nõ simpliciter, sed per apostrophẽ hoc facit.

Ad Suil-

AD SVILLIVM.

LIttera sera quidem studijs excults Suilli
 Huc tua peruenit, sed mihi grata tamen.
Qua pia si posset superos lenire rogando
 Gratia, laturum te mihi dicis opem.
Vt iam nil præstes animi sum factus amici
 Debitor, & meritum uelle iuuare uoco.
Impetus iste tuus longum modo duret in æuum,
 Neue malis pietas sit tua lassa meis.
Ius ailquod faciunt affinia uincula nobis,
 Quæ semper maneant illabefacta precor.
Nam tibi quæ coniunx, eadem mihi filia penè est,
 Et quæ te generum, me uocat illa uirum.
Hei mihi, si lectis uultum tu uersibus istis
 Ducis, & affinem te pudet esse meum.
At nihil hic dignum poteris reperire pudore,
 Præter fortunam, quæ mihi cæca fuit.
Seu genus excutias, equites ab origine prima
 Vsq; per innumeros inueniemur auos.
Siue uelis mores qui sint inquirere nostri,
 Errorem misero detrahe, labe carent.
Tu modo, si quid agi sperabis posse precando,
 Quos colis, exora supplice uoce deos.
Di tibi sunt Cæsar iuuenis, tua numina placa,
 Hac certe non est notior ara tibi.

Non sta

Non sinit illa sui uanas antistitis unquam
  Esse preces, nostris hinc pete rebus opem.
Quamlibet exigua si nos ea iuuerit aura,
  Obruta de medijs cymba resurget aquis.
Tunc ego thura feram rapidis solennia flammis,
  Et quantum ualeant numina, testis ero.
Nec tibi de Pario statuam Germanice templum
  Marmore, carpsit opes illa ruina meas.
Templa domus facient uobis urbesq; beatæ,
  Naso suis opibus carmine gratus erit.
Parua quidem fateor pro magnis munera reddi,
  Cùm pro concessa uerba salute damus.
Sed qui, quàm potuit, dat maxima, gratus abūde est,
  Et finem pietas contigit illa suum.
Nec, quæ de parua pauper dijs libat acerra,
  Thura minus grandi, quàm data lance, ualent.
Agnaq; tam lactens, quàm gramine pasta Phalisco
  Victima Tarpeios inficit icta focos.
Nec tamen officio Vatum per carmina facto,
  Principibus res est aptior ulla uiris.
Carmina uestrarum peragunt præconia laudum,
  Neue sit actorum fama caduca cauent.
Carmine fit uiuax uirtus, expersq; sepulchri,
  Noticiam seræ posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum lapidemq; uetustas,
  Nullaq; res maius tempore robur habet.

Scripta

Scripta ferunt annos, scriptis Agamemnona nosti,
 Et quisquis contra, uel simul arma tulit.
Quis Thebas septemq; duces sine carmine nosset?
 Et quidquid post hæc, quidquid & ante fuit?
Di quoq; carminibus, si fas est dicere, fiunt,
 Tantaq; maiestas ore canentis eget.
Sic Chaos ex illa naturæ mole prioris
 Digestum partes scimus habere suas.
Sic affectantes cœlestia regna Gigantes,
 Ad Styga nubifero uindicis igne datos.
Sic uictor laudem superatis Liber ab Indis,
 Alcides capta traxit ab Oechalia.
Et modo Cæsar auum, quem uirtus addidit astris,
 Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.
Si quid adhuc igitur uiui Germanice nostro
 Restat in ingenio, seruiet omne tibi.
Non potes officium Vatis contemnere Vates,
 Iudicio precium res habet ista tuo.
Quod si te nomen tantum ad maiora uocasset,
 Gloria Pieridum summa futurus eras.
Sed dare materiam nobis, quàm carmina, mauis,
 Nec tamen ex toto deserere illa potes.
Nã modo bella geris, numeris modo bella coerces,
 Quodq; alijs opus est, hoc tibi lusus erit.
Vtq; nec ad citharam, nec ad arcum segnis Apollo,
 Sed uenit ad sacras neruus uterq; manus,

Sic tibi nec docti desunt, nec principis artes,
Mista sed est animo cum Ioue Musa tuo.
Quæ quoniam nec uos unda submouit ab illa,
Vngula Gorgonei quam caua fecit equi,
Prosit, opemq́; ferat communia sacra tueri,
Atq; ijsdem studijs imposuisse manum.
Littora pellitis nimium subiecta corallis,
Vt tandem sæuos effugiamq́; Getas.
Clausaq́; si misero patria est, ut ponar in illo
Qui minus Ausonia distat ab urbe loco.
Vnde tuas poßim laudes celebrare recentes,
Magnaq́; quàm minima facta referre mora.
Tangat ut hoc uotum cœlestia care Suilli,
Numina pro socero penè precare tuo.

AD ELEGIAM NONAM
ad Græcinum.

NOn solet hic Græcinus inter consules numerari ab ijs, qui consulũ nomina collegerũt & digesserunt in certa tempora. Quod si non fuit consul, fama deceptus est Ouidius, aut aliquid ei humanitus accidit, prius quàm Magistratum inijt. Vt ut est, Ouidius gratulatur ei hunc honorẽ, & rogat eũ ut sibi Cęsares placet, ut ex istis miserijs liberetur. Hæc ut præcipua in hac Epistola tractantur. Prior pars concinne est

